

DE ERRORE VOLUNTATEM DETERMINANTE (CAN. 1099) IUXTA ROTALEM IURISPRUDENTIAM

SUMMARIUM: Praemissis brevibus considerationibus de iudiciis et actitudinibus sub adpectu epistemologico et psychologico, quae intrant in notionem generalem placitorum erroris contra proprietates essentielles et dignitatem sacramentalem matrimonii (I), analysi subiunguntur principia iurisprudentiae rotalis, quae sub vetere et novo Codice efformata sunt, de eorundem placitorum efficacia iuridica in ambitu erroris iuris (II). Potissimum vero agitur de individuazione, dynamismo, natura et autonomia erroris voluntatem determinantis in iurisprudentiali dictamine.

I. MOMENTUM EPISTEMOLOGICUM ET PSYCHOLOGICUM IUDICIORUM ET ACTITUDINUM DISSIDENTUM CUM PRIN- CIPIS DOCTRINAE CATHOLICAE DE MATRIMONIO

A. Iudicia

Dubium methodicum, subjective sumptum, quod CARTESIUM ducebat ad agnoscendam veritatem de exsistentia suiipsius uti cogitantis iuxta illud «*ego cogito, ergo sum*»¹, in lucem ponit realitatem ac momentum idearum internarum, quae personae humanae exsistentiam sub respectu cogitationum definiunt atque confirmant.

¹ DESCARTES R., *Discours de la Méthode*, IV (*Oeuvres de Descartes*, t. VI, Paris, 1902, pp. 32, 33). Cfr. NICOLOSI S., *Introduzione, traduzione e note*, Napoli, 1989, p. 86; MORANDINI F., *Critica*, Romae, 1963⁵, pp. 58-59.

Quamvis ad epistemologiae rationem non omnes probent thesim Cartesianam iuxta quam volitio seu operatio voluntatis etiam ad generalem cogitandi modum pertinet, similiter ac perceptio seu operatio intellectus, quatenus operationes cognoscitivae et discriminativae, in formationem iudicii conferentes, actus ab intellectu elicitur habentur, non vero a voluntate², nihilominus tamen iudicium ad praxim spectans, videlicet iudicium practicum, revera necessarium est, ut voluntas ad actum sese determinet³.

Iudicia tamen, sua ex parte, influxum voluntatis subeunt; immo, iuxta thesim Scholae Scoticae actus voluntatis, etsi in se perfectus, maturat in concursu cum actu intellectus, quia uterque ad actionem ordinatur⁴.

Ita iudicium valoris in electione unius de alternationibus haud necessario perficitur ope processus intellectivi tantum, quia, ad psychologiae rationem quod spectat, magnam inibi partem habent factores affectivi actuales, intervenientes in formatione et

² Cfr. SIWEK P., *Psychologia metaphysica*, Romae, 1962⁶, p. 409.

³ Ibid., p. 455. Ad rem cfr. SZASZKIEWICZ J., *Filosofia dell'uomo*, Roma, 1989², p. 241: «...dobbiamo notare che nella scolastica in genere e nel tomismo in specie esiste una terminologia ricca e varia al proposito (indifferenza attiva e passiva, giudizio pratico-pratico indifferente e giudizio ultimo pratico...) ed anche una interpretazione complessa del passaggio dal conoscere al volere libero chiamato deliberazione che ha il suo culmine in Billuart, che giunge a dodici tappe successive fra intelletto e volontà. A noi sembra che così si cerchi di camuffare il solo punto essenziale ma difficile a capirsi, il procedere libero medesimo».

⁴ DUNS SCOTUS, J., *Quaestiones Quodlibetales*, q. 16, n. 6 (*Opera*, t. XII, Lugduni, 1539, p. 451). Cfr. MERCATALI, A., *La persona umana. Conoscenza e formazione*, Roma, 1987, p. 98.

confirmatione motivorum; pondus autem determinans inspicitur in iudicio practico valoris, quod elici potest sive in forma imperativa (hoc est mihi faciendum) sive in forma comparationis (hoc praestantius est illo)⁵.

Alia ex parte cum decisio practica fieri nequeat absque implicito iudicio valoris⁶, et sine iudicio nec actus voluntarius detur, interdum quis loquitur quoque de «iudicio voluntatis», attento quod actus voluntarii iudiciis determinantur⁷. Actiones enim personarum valoribus mediantur⁸, qui non solum identitatem subiecto suppeditant, sed potissimum elementum tractorium totius apparatus psychici constituunt⁹.

Attamen valores, secus ac necessitates, personam non impellunt ad agendum, sed ad actionem nonnisi attrahunt¹⁰. Iamvero, valores quidem habere

⁵ ZAVALLONI, R., *La libertà personale. Psicologia della condotta umana*, Milano, 1973³, p. 101.

⁶ KIELY, B., *Psychology and Moral Theology: lines of convergence*, Rome, 1980, p. 129. Cfr. etiam CENCINI, A.-MANENTI, A., *Psicologia e formazione. Strutture e dinamismi*, Bologna, 1986, p. 90.

Cfr. coram COLAGIOVANNI, sent. 18 octobris 1986, Venetiarum seu Veronen., n. 8: «...intellectus enim illud iudicium efformat, at voluntas facit ut intellectus ad illud obiectum sibi propositum attendat sub ratione valoris».

⁷ Ita JANET, P., *L'automatisme psychologique. Essai de psychologie expérimentale sur le formes inférieures de l'activité humaine*, Paris, 1930¹⁰, pp. 470-478. Cfr. ZAVALLONI, R., *La libertà personale* (supra nt. 5), p. 127.

⁸ BRONOWSKI, J., *The Ascent of Man*, Boston, 1973, p. 436; CENCINI, A.-MANENTI, A., *Psicologia e formazione* (supra nt. 6), p. 90.

⁹ CENCINI, A.-MANENTI, A., *Psicologia e formazione* (supra nt. 6), p. 89.

¹⁰ Ibid., p. 83.

dicuntur vim imperativam, sed non coercitivam, quia hominem liberum relinquunt sequendi illos necne¹¹. Decisio enim iudicium valoris sequitur eo sensu quod acceptat vel respuit agere secundum talis iudicii tenorem¹². Inde decisio potest dissentire a iudicio valoris, quia aliquis probare potest id quod iustum aestimat, quin tamen reapse id facere intendat¹³ iuxta illud S. PAULI: «*non enim quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud facio*» (Rom. 7, 15)¹⁴.

Revera iudicium valoris affirmat tantum de bonitate, vera vel apparenti, alternationum, quodque deinceps ipsa decisio sequi debet sive quando erit cum iudicio valoris conformis sive quando erit ei contraria¹⁵.

Ita ex. gr. pro agendi ratione christifidelium bona

¹¹ Ibid., p. 100.

¹² RULLA, L.M., *Antropologia della vocazione cristiana. I. Basi interdisciplinari*, Casale Monferrato, 1985, p. 103.

¹³ Ibid., p. 103.

¹⁴ Heic tamen, sicut in re biblica periti contendunt, non intenditur «*un contrasto psicologico tra il volere e il fare che si agiterebbe nell'uomo empirico in quanto tale e che si risolverebbe in una sconfitta dell'assenso teorico alla legge di fronte alla trasgressione pratica della legge stessa*», sed indicatur discordia «*tra quest'uomo empirico consegnato al peccato e l'uomo metempirico che è creatura*» seu «*dell'uomo storico con se stesso in quanto creatura*» - SCHLIER, H., *Der Römerbrief* (tr. Ital., Brescia, 1982, pp. 386-387).

Cfr. etiam OVID, *Metam.* 7, 19s.: «*sed gravat invitam nova vis, aliudque cupido. Mens aliud suadet: video meliora proboque, deteriora sequor*».

Ita explicatur quaedam discrepantia inter opiniones et praxim: «*Dicunt se esse christianos et conducta eorum, sive in vita morali, sive in praxi religiosa proprie dicta (v. gr. frequentatio Missae) non cohaeret cum doctrina christiana*» - CRUCHON, G., *Psychologia paedagogica*, Romae, 1966³, p. 241.

¹⁵ RULLA, L.M., *Antropologia* (supra nt. 12), p. 103.

nuptialia matrimonii redempti, quae sunt: novae vitae humanae transmissio (proles), mutua coniugum fidelitas (fides) et vinculi sacri indissolubilitas (sacramentum) (cann. 1055-1056), sicuti ipsa coniugii dignitas sacramentalis (can. 1055), valores morales et religiosos constituunt¹⁶, quia actio divina salutis in matrimonio sacramentali actuatur, quod «*in se verum et proprium signum salutis est*» et «*gratiam Jesu Christi confert*»¹⁷. Inde tota vita moralis coniugum ad sacramentum tamquam ad suum fundamentum nec non ad suum constans sustentaculum reducitur¹⁸.

Sed iidem valores, qui uti «*iudicii normae*»¹⁹ agere debent, haud tam raro «*pro vita humana in hoc mundo nimis ardui apparent, cum interdum heroicitem humanam exigant*»²⁰. Eapropter tales valores iam

¹⁶ Nam sacramentalitas matrimonii est veritas «de fide» (cfr. DS. 1327, 1601, 1801), dum indissolubilitas intrinseca est «proxima fidei»; indissolubilitas autem extrinseca et unitas matrimonii sunt de «doctrina catholica» (veritas certa) - cfr. ADNES, P., *Le mariage*, Tournai, 1963¹⁰, pp. 135, 160, 162, 180.

Quare pro christifidelibus non agitur tantum de valoribus «socialibus» matrimonii aut de valoribus «ethico-iuridicis» - cfr. BELTRÃO, P.C., *Sociologia della famiglia contemporanea*, Roma, 1977², p. 106. Agitur tamen de valoribus instrumentalibus tantum, non vero terminalibus - cfr. RULLA, L.M., *Antropologia* (supra nt. 12), p. 193.

¹⁷ COMMISSIO THEOLOGICA INTERNATIONALIS, Sess. 1977, «*Propositiones de quibusdam quaestionibus doctrinalibus ad matrimonium christianum pertinentibus*, n. 2.2», in «*Gregorianum*» 59 (1978) 457.

¹⁸ Cfr. GATTI, G., *Morale matrimoniale e familiare*, in AA.VV., *Corso di morale. III. Koinonia (Etica della vita sociale)*, t. I, Brescia, 1984, p. 228.

¹⁹ COLAGIOVANNI, E., *Sociologia: Istituzioni. Le dimensioni sociali della persona*, Roma, 1988, p. 158.

²⁰ AUER, J., *Die Sakramente der Kirche* (tr. Ital., Assisi, 1989, p. 334).

in se ipsis vel in aliquo eorum peculiari elemento essentiali deformari possunt in processu humanae cognitionis, antequam in iudicium perveniant²¹. Ita fieri potest sive ob subconscii emotionalis influxum, si quis v. gr. ex «*inopinato quodam timore suscipiendi perpetuam obligationem, vel ad longum tempus duraturam*» putat «*nullo pacto fieri posse ut irrevocabili foedere in totius vitae cursum uni tantum comparti se tradere queat*»²², sive ob divulgata principia conventionalia seu opiniones maioritatis²³, quae ex. gr.

«matrimonium atque eius indissolubilitatem ut conceptus inter se vere contradictorios existiment et, ipsius iuris naturae existentiam negantes, matrimonium ut institutum iuris mere positivi, iuxta placita evolutionis sociologicae, per leges civiles sancita, ordinatum»

propugnent²⁴. Tunc sane valores ita deformati fiunt «*valores subiectivi*»²⁵, qui ad iudicium finale erroneum conferunt.

B. Actitudines

Aliter tamen fit, quotiens agitur de valoribus

²¹ Cfr. VERSALDI, G., «*Elementa psychologica matrimonialis consensus*», in «*Periodica*», 71 (1982) 181.

²² Coram STANKIEWICZ, sent. 27 novembris 1986, Romana, n. 3.

²³ CENCINI, A.-MANENTI, A., *Psicologia e formazione* (supra nt. 6), p. 81.

²⁴ Coram ANNÉ, sent. 27 octobris 1964, in *SRRDec.*, vol. LVI, p. 765, n. 4. Cfr. etiam coram ABBO, sent. 6 novembris 1969, in *SRRDec.*, vol. LXI, pp. 978-979, n. 3; coram MASALA, sent. 6 martii 1974, in *SRRDec.*, vol. LXVI, p. 181, n. 3.

²⁵ Cfr. MACARIO, L., *Matrimonio e famiglia: una realtà in costruzione*, in AA.VV., *Realtà e valori del sacramento del matrimonio*, Roma, 1976, p. 381.

actitudinalibus²⁶, qui respiciunt actitudinem personae versus vitam, potissimum vero erga realitatem existentialem, quae immutabilis apparet²⁷.

Actitudo²⁸ enim, si ipsius elementa, quae nostra intersunt, ex variis eius definitionibus perspiciantur, consistit in praedispositione, ab experientia ordinata, respondendi modo praeferentiali obiecto vel situationi et influxum directivum et dynamicum exercente in agendi rationem seu modum se gerendi²⁹.

²⁶ CENCINI, A.-MANENTI, A., *Psicologia* (supra nt. 6), p. 87. Iuxta FRANKL (cit. ibid., p. 86, n. 57) praeter valores «attitudinali» sunt etiam «creativi» et «esperienziali».

De ordinatione valorum («oggettivi-soggettivi», «terminali-instrumentali», «naturali-autotrascendenti», «morali-religiosi») - cfr. RULLA, L.M., *Antropologia* (supra nt. 12), pp. 115-118.

²⁷ CENCINI, A.-MANENTI, A., *Psicologia* (supra nt. 6), p. 87.

²⁸ Verbum Italicum «atteggiamento» (Angl. «attitude») quod «Latine» redditur verbo «actitudo» — a CICERONE dicebatur «habitus» — [ita CRUCHON, G., *Psychologia* (supra nt. 14), pp. 222 ss.; alii vero illud convertunt in v. «aptitudo» - PARISELLA, I., «De pervicaci seu radicato errore circa matrimonii indissolubilitatem iurisprudentia roialis recentior», in «*Ephemerides Iuris Canonici*» 32 (1976) 161; coram ANNÉ, sent. 7 novembris 1972, in *SRRDec.*, vol. LXIV, p. 684, n. 6], distinguitur a v. «abitudine» (Lat. habitudo, habitus), quae definitur: «un atteggiamento portato all'azione in modo abituale» - RULLA, L.M., *Psicologia del profondo e vocazione: le persone*, Torino, 1975, p. 49.

Nonnumquam adhibetur etiam v. It. «attitudine» - cfr. FILIPPI, L.S., *Maturità umana e celibato. Problemi di psicologia dinamica e clinica*, Brescia, 1973², pp. 43 s.; PANGALLO, M., «*Habitus*» e vita morale. *Fenomenologia e fondazione ontologica*, Napoli-Roma, 1988, p. 31.

²⁹ Auctores de actitudine agentes adhuc referunt tres eius definitiones, quarum prima tradita est ab ALLPORT (et recepta a MCGUIRE): «An attitude is a mental and neural state of readiness to respond, organized through experience, exerting a directive and/or dynamic influence on behavior», altera a KATZ: «Attitude is the predisposition of the individual to evaluate some symbol or object or aspect of his world in a favorable or unfavorable manner»,

Elementum affectivum, quod actitudini inest una cum elementis cognitivo (opinione) et conativo, inducit sensum attractionis vel repulsionis erga obiectum actitudinis eiusque intensitatem significat³⁰. At contentum cognitivum haud multum determinat elementum affectivum, quod diutinius ac centralius est elemento cognitivo; elementum autem conativum tendentiam ad agendi rationem relate ad obiectum iam importat³¹. Omnes autem vires psychicae, quae in actitudine implicantur, eiusdem actitudinis functionem mediationis probant, cum sit quid intermedium inter perceptionem et actionem³².

Notandum est quoque influxum actitudinis in modum se gerendi non solum esse directivum sed etiam dynamicum. Qua de causa dimensio intellectualis actitudinis puta contra doctrinam catholicam de matrimonio, complectens placita erronea tamquam «*valores subiectivi-convictiones*»³³, una cum dimensione affectiva et conativa non solum dirigunt aliquem id genus placitis imbutum (opinionibus, convictionibus negativis) ad agendum contra talem doctrinam, sed etiam generant in eo veram repulsionem seu hostilita-

tertia vero a ROKEACH: «*An attitude is a relatively enduring organization of beliefs around an object or a situation, predisposing one to respond in some preferential manner*» - apud KIELY, B., *Psychology* (supra nt. 6), p. 144. Cfr. VERSALDI, G., *L'oggettività delle prove in campo psichico*, Brescia, 1981, p. 78.

Actitudines distingui solent in generales (tendentiae) et specificas (actitudines sensu stricto), ratione habita criterio generalitatis et instrumentalitatis - cfr. RULLA, L. M., *Antropologia* (supra nt. 12), p. 114.

³⁰ CENCINI, A.-MANENTI, A., *Psicologia* (supra nt. 6), p. 70.

³¹ L.c.

³² L.c.

³³ Cfr. THOMAE, H., *Konflikt, Entscheidung, Verantwortung* (tr. Ital., Roma, 1978, p. 66).

tem adversus illam³⁴. Idque obvenit, si quis ex. gr. doctrinam catholicam de matrimonio «*pervicaciter irridet atque respuit*»³⁵ aut si eam «*impugnet et erga ipsam in statu rebellionis constituatur*»³⁶.

In eadem actitudine diversae coexistere possunt atque superponi actitudinum functiones³⁷. Inde quis contra doctrinam catholicam de matrimonio agere potest in functione utilitaristica proprii commodi, vel in functione defensiva propriae existimationis aut expressiva suarum convictionum, vel demum in functione cognoscitiva in ordine ad acquirendum schema referentiae in apprehensione realitatis³⁸.

Tandem haud praetermittenda est actitudinum permanentia atque resistentia erga mutationes, quae firmae supersunt potissimum ob praesentiam elementi affectivi. Nam ad mutationem actitudinis, puta contra canonicum schema matrimonii, hoc est unici, indissolubilis et sacramentalis (can. 1056), quae se-

³⁴ Cfr. CENCINI, A.-MANENTI, A., *Psicologia* (supra nt. 6), p. 71.

³⁵ Coram JULLIEN, sent. 2 aprilis 1947, in *SRRDec.*, vol. XXXIX, pp. 220-221, n. 3. Cfr. etiam coram ANNÉ, sent. 2 aprilis 1968, in *SRRDec.*, vol. LX, p. 294, n. 5; coram STANKIEWICZ, sent. 14 octobris 1978, in *RRdec.*, vol. LXX, p. 438, n. 6; coram DE LANVERSIN, sent. 28 februarii 1984, in *RRdec.*, vol. LXXVI, p. 146, n. 7.

³⁶ Coram PINNA, sent. 21 martii 1968, in *SRRDec.*, vol. LX, p. 229, n. 3. Cfr. etiam coram PINTO, sent. 6 novembris 1972, in *SRRDec.*, vol. LXIV, p. 673, n. 4; coram STANKIEWICZ, sent. 14 octobris 1978, in *RRdec.*, vol. LXX, p. 439, n. 7; coram HUOT, sent. 10 novembris 1987, Taurinen., n. 11.

³⁷ CENCINI, A.-MANENTI, A., *Psicologia* (supra nt. 6), p. 73, ubi etiam alii Auctores hac de re citantur.

³⁸ Ibid., pp. 72-77. De quattuor functionibus (utilitaristica, defensiva, cognoscitiva et quae valores exprimit) relate ad motivationes quibus causantur actiones - cfr. VERSALDI, G., *Elementa psychologica* (supra nt. 21), p. 197.

cum ducit opinionem negativam hac in re una cum repulsione et tendentia agendi contra, non sufficiunt solummodo novae aptaeque informationes, quae ex. gr. in praeparatione personali ad matrimonium tradi solent (can. 1063, n. 2), sed necesse est ut mutetur modus percipiendi aestimandique tale schema, immo ipse modus percipiendi ipsum stimulum, qui formationem actitudinis efficit³⁹. Enimvero tendentia tuendi imaginem suiipsius in homine actitudinem habente adeo fortis est, ut in casu conflictus inter valorem et actitudinem potius mutabit valorem quam actitudinem⁴⁰.

Hisce praemissis, nunc videndum est sub adpectu canonico, quamnam aestimationem et relevantiam iuridicam habeant id genus iudicia et actitudines, proprietatibus matrimonii nec non eius dignitati sacramentali contraria, in iurisprudentiali dictamine.

II. IURISPRUDENTIALIS AESTIMATIO ET RECOGNITIO EFFICACIAE IURIDICAE IUDICIORUM ET ACTITUDINUM IN AMBITU ERRORIS IURIS CIRCA UNITATEM, INDISSOLUBILITATEM ET SACRAMENTALEM DIGNITATEM MATRIMONII

A. *Placitorum erroneorum digestio in iurisprudentiali aestimatione*

Neminem sane latet hominem in hoc mundo «*innumeris erroribus esse obnoxium*», cum eius facultas verum iudicandi «*non sit infinita*»⁴¹. Idque conspi-

³⁹ CENCINI, A.-MANENTI, A., *Psicologia* (supra nt.), p. 71.

⁴⁰ Ibid., p. 77.

⁴¹ DESCARTES, R., *Meditationes de Prima Philosophia: Med.*

citur etiam nostris temporibus in provincia matrimonii, ubi erratae notiones theoreticae et practicae propter pertinacem insistentiam in amorem liberum⁴², penitus difformem ab eius indole naturali, postulante videlicet ut sit unicus et exclusivus, indissolubiliter fidelis et ab omni adulterio et divortio alienus⁴³, matrimonii institutum deformant atque «*in dies gravius latiusque grassantur inter catholicos*»⁴⁴.

Nec primigenae matrimonii veritati de indissolubilitate ac fidelitate mutuae coniugum donationis, quae et fecunditati patere debet⁴⁵, divulgate opinio-

IV, *De Vero et Falso* (Oeuvres de Descartes, vol. VII, Paris, 1904, p. 54).

⁴² Cfr. CONC. VATICANUM II, Const. past. *Gaudium et Spes*, n. 47, in AAS 58 (1966) 1067: «*Non ubique vero huius institutionis dignitas eadem claritate illucescit, siquidem polygamia, divortii lue, amore sic dicto libero, aliisve deformationibus obscuratur; insuper amor nuptialis saepius egoismo, hedonismo et illicitis usibus contra generationem profanatur*».

Cfr. coram EWERS, sent. 18 maii 1968, in SRRDec., vol. LX, p. 346, n. 4: «*Nec dumtaxat ad eos qui formaliter acatholici dicuntur spectemus oportet; verum principia iuridica inferius exponenda pari vi aptari debent et iis omnibus, etsi nomine catholicis, qui cum acatholicis communem habent errorem de matrimonii natura et essentialibus proprietatibus*».

⁴³ Const. past. *Gaudium et spes* (supra nt. 42), n. 49, p. 1070.

Cfr. VILADRIK, P.J., *Agonia del matrimonio legal*, Pamplona, 1984, p. 27. Cfr. etiam coram STANKIEWICZ, sent. 26 martii 1987, Medellen., n. 6: «*amor coniugalis dicitur ex se unicus et exclusivus atque indissolubiliter fidelis, quia «lo scioglimento di un matrimonio legalmente contratto (divorzio) nella maggior parte dei casi conduce alla poligamia» (WOJTYLA, K., Amore e responsabilità, tr. Ital., Casale, 1979, p. 200)*».

⁴⁴ Coram MASALA, sent. 6 martii 1974, in SRRDec., vol. LXVI, p. 181, n. 4.

⁴⁵ Cfr. JOANNES PAULUS II, Adhort. Apost. «*Familiaris consortio*», n. 13, in AAS, 74 (1982) 96.

nes etiam apud nationes catholicas favent, quia, ut sociologi contendunt, inibi quoque publica opinio dissolutioni vinculi matrimonialis, saltem ex gravibus causis, indulget atque divortii socialis improbatio revera multum enervata est⁴⁶. Nam et apud easdem nationes «*praesertim multi iuvenes exculti, plus minusve scienter, sub influxu existentialismi et sic dictae ethicae situationis vivunt*» et «*potius quam speculationibus philosophicis, experientiae immediatae indulgent et ea quae tamquam bona retinent, sibimetipsis immediate applicant*»⁴⁷.

Huc accedit quod eiusmodi placita erronea in ambitu catholico roborantur sive opinionibus in campo theologico passim disseminatis, quas penes indissolubilitatis praesertim viculi exigentia a Christo Domino confirmata est tamquam expressio radicalismi moralis Regni, ideoque urgenda donec communio permaneat coniugalís, non autem post eius dissolutionem⁴⁸, sive in campo practico propter «faciles», quae dicuntur, nullitatum matrimonialium declarationes⁴⁹, quae saepe saepius limites inter nullitatem et vinculi dissolutionem per divortium obnubilant⁵⁰.

⁴⁶ Cfr. BELTRÃO, P.C., *Sociologia* (supra nt. 16), p. 107.

Attamen divortii introductio, sicut Auctor notat, dissolutionum matrimonialium augmentum non secumfert (p. 113).

⁴⁷ Coram PALAZZINI, sent. 12 martii 1969, in *SRRDec.*, vol. LXI, p. 258, n. 6.

⁴⁸ Coram STANKIEWICZ, sent. 27 novembris 1986, Romana, n. 4. Cfr. DURRWELL, F.X., «*Indissoluble et destructible mariage*», in «*Revue de Droit Canonique*» 36 (1986) 241.

⁴⁹ Cfr. JOANNES PAULUS II, Alloc. ad Rotae romanae auditores coram admissos, 5 februarii 1987, n. 9, in *AAS* 79 (1987) 1458.

⁵⁰ Sed can. 1488, § 2 exsistentiam tribunalium «favorabilium» tolerare videtur dum poenas comminatur advocatis et

Praeter opiniones contra vinculi indissolubilitatem propugnantur quoque placita erronea contra unitatem coniugii seu vinculi exclusivitatem⁵¹, sicut de non culpabilitate relationum sexualium extraconiugialium necnon de sic dicto «matrimonio aperto» ad liberum amorem cum quibusvis aliis, praeter coniugem, ultro experiendum⁵², quae mentes nupturientium facile corrumpunt atque nefandum exercent influxum in rectitudinem intentionis circa officium fidelitatis coniugalis.

In regionibus autem ubi mores polygamiae favent, nupturientes «*polygamiae adhaerentes in contrahendo cum prima uxore facile adduci possunt ad sibi reservandam facultatem tradendi ius in proprium corpus deinceps etiam aliis mulieribus*»⁵³, eo vel magis ad non tradendum comparti ius exclusivum, ut ab obligatione fidelitatis erga partem omnino liberi evadant⁵⁴.

procuratoribus, «*qui a competentibus tribunalibus causas, in fraudem legis, subtrahunt ut ab aliis favorabilius definiantur*», non vero iudicibus.

⁵¹ Heic praetermittimus quaestionem, etiam in iurisprudentia disceptatam, de relatione inter unitatem et fidelitatem coniugalem - cfr. STANKIEWICZ A., *De iurisprudentia recentiore circa simulationem totalem et partialem*, Romae, 1989, pp. 51-53. Cfr. etiam WEGAN, M., «*Der Ausschluss des "bonum fidei" nach der neueren Rechtsprechung der Rota Romana*», in AA.VV., *Recht im Dienste des Menschen*, Graz-Wien-Köln, 1986, pp. 569 ss.

⁵² Cfr. coram STANKIEWICZ, sent. 25 novembris 1982, Romana, n. 4.

⁵³ Coram WYNEN, sent. 25 novembris 1948, in *SRRDec.*, vol. XL, p. 424, n. 9.

⁵⁴ Cfr. coram FIORE (FALTIN extensore), sent. 28 novembris 1987, Romana, n. 10.

Praeterea etiam

«ex moribus pravis quaerendi sexualem voluptatem quibusvis cum feminis (vel respective cum viris) induci levi pede aliquis potest ad connubium contrahendum absque obligatione susceptae fidelitatis erga uxorem (vel respective erga virum), potissimum si talis praxis «cum despectu connubii unitatis procedit»⁵⁵.

Nec praetermittenda est quoque *«series quotidiana facinorum sexualium quae media communicationum socialium offerunt praesertim uti vilipendium matrimonialium obligationum»*, ita ut

«ex tam prava schola sociali, imbutus exstet circa perpetuitatem et exclusivitatem iuris coniugalis iuvenis qui ad nuptias contrahendas accedit, si, olim baptizatus, rectam doctrinam et praxim christianam secutus non sit et assecla fuerit immoraliū et amoralium dictaminum»⁵⁶.

Item profitentes atheismum systematicum cum eius dimensione volitiva, qui *«optatum autonomiae hominis eo usque perducit ut contra qualemcumque a Deo dependentiam difficultatem suscitet»⁵⁷*, a qualibet notione «foederis sacri» etiam abhorrent et plerumque *«caeremoniae religiosae ineundi foederis»⁵⁸* adver-

⁵⁵ Coram POMPEDDA, sent. 1 martii 1985, Mediolanen., n. 3.

⁵⁶ Coram RAGNI, sent. 9 decembris 1982, in *RRDec.*, vol. LXXIV, pp. 595-596, n. 6.

⁵⁷ Const. past. *Gaudium et spes* (supra nt. 42), n. 20, p. 1040.

Cfr. BOGLIOLO, L., *Ateismo e secolarizzazione*, Roma, 1973, pp. 104 ss.; COTTIER, G., «Définition et typologie de l'athéisme», in AA.VV., *«Evangelizzazione e ateismo»*, Roma, 1981, pp. 24-27; coram DE LANVERSIN, sent. 6 novembris 1980, in *RRDec.*, vol. LXXII, pp. 709-711, nn. 3-4.

⁵⁸ Coram FIORE, sent. 17 iulii 1973, in *SRRDec.*, vol. LXV, p. 594, n. 8.

santur, quoniam cum eorum placitis ratio sacramenti instituti matrimonialis minime componitur⁵⁹.

Cum vero id genus placitis imbuti ad celebrationem matrimonii in ecclesia haud tam raro accedant, etiamsi «pro forma tantum» id faciant vel ut comparti aut propriae familiae placeant, iurisprudentiae dictamina se vertunt non solum in digestionem specierum id genus placitorum erroneorum, sed potissimum in aestimationem eorum influxus in formationem voluntatis matrimonialis. Namque

«nostris temporibus, magis adhuc quam aetate media, quaestio ethica et iuridica instituenda est de vi erroris deque eius influxu in actum voluntatis positum a contrahente, cuius intellectus ipso errore obnubilatur»⁶⁰.

B. *Efficacia iuridica placitorum erroneorum in iurisprudentiali dictamine*

1. *Error simplex seu speculativus*

Sub adspectu epistemologico error tamquam mentis adhaesio seu assensus in falsum, vel iudicium falsum⁶¹, distinguitur a iudicio opinativo in genere

⁵⁹ Cfr. coram STANKIEWICZ, sent. 29 aprilis 1982, in *RRDec.*, vol. LXV, p. 253, n. 12; coram SERRANO, sent. 18 aprilis 1986, Romana, n. 6; coram STANKIEWICZ, sent. 19 maii 1988, Etrusca seu Senen., n. 4.

⁶⁰ Coram MASALA, sent. 6 martii 1974, in *SRRDec.*, vol. LXVI, p. 181, n. 4.

⁶¹ S. THOMAS, *De Malo*, q. 3, art. 7, in c.: «Error autem est approbare falsa pro veris: unde addit actum quendam super ignorantiam: potest enim esse ignorantia sine hoc quod aliquis de ignotis sententiam ferat, et tunc ignorans est et non errans; sed quando iam falsam sententiam fert de his quae nescit, tunc proprie

quod est «*adhaesio quidem incerta sive in verum sive in falsum*»⁶², a mentis dispositione quae dicitur «*status mentis mere in potentia ad veritatem*»⁶³, a dubio quod est «*status indeterminationis mentis*» seu «*fluctuationis inter utramque contradictionis partem*»⁶⁴, atque ab ignorantia quae est «*carentia scientiae debitae, seu cognitionis debitae, in subiecto proxime capaci habendi hanc scientiam seu cognitionem*»⁶⁵.

Sed in iurisprudentiali aestimatione memorati status mentis, qui «*ratione sui terminantur in intellectu*»⁶⁶, intra limites erroris iuris considerantur, qui iuxta denominationem Codicis Pio-Benedictini etiam hucusque vocatur «*error simplex*» (can. 1084)⁶⁷,

dicitur errare». Cfr. MORANDINI, F., *Critica* (supra nt. 1), p. 303; FECHER, V.J., *Error, Deception and Incomplete Truth*, Romae, 1975, p. 34; LLANO, A., *Filosofia della conoscenza* (tr. Ital.), Firenze, 1987, p. 58.

In iurisprudencia hucusque adhibetur classica definitio erroris, qui dicitur «*falsum mentis (intellectus) iudicium*» relate ad nuptias - cfr. coram JULLIEN, sent. 2 aprilis 1947, in *SRRDec.*, vol. XXXIX, p. 220, n. 3; coram STANKIEWICZ, sent. 23 iunii 1978, in *RRDec.*, vol. LXX, p. 373, n. 5; coram POMPEDDA, sent., 21 aprilis 1986, Romana, n. 5; coram DORAN, sent. 20 novembris 1987, Romana, n. 8; coram MASALA, sent. 24 ianuarii 1989, Romana, n. 3.

⁶² MORANDINI, F., *Critica* (supra nt. 1), p. 301.

⁶³ Ibid., p. 308.

⁶⁴ Ibid., p. 307.

⁶⁵ Ibid., p. 308.

⁶⁶ Coram JULLIEN, sent. 2 aprilis 1947, in *SRRDec.*, vol. XXXIX, p. 220, n. 3.

⁶⁷ Can. 1084: «*Simplex error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem, etsi det causam contractui, non vitiat consensum matrimonialem*».

De origine et historia simplicis erroris - cfr. DOMINE, H., *L'errore semplice intorno alle proprietà essenziali del matrimonio ed il suo influsso sulla validità del medesimo*, Parma, 1966, pp. 47 ss.; ALDANONDO SALAVERRIA, M.I., *Mentalidad divorcista y con-*

quique in iurisprudentiae usu dicitur quoque error «accidentalis»⁶⁸, «theoreticus»⁶⁹, «speculativus»⁷⁰, «theoricus et doctrinalis»⁷¹.

sentimiento matrimonial, Salamanca, 1982, pp. 146 ss.; STANKIEWICZ, A., «Errore circa le proprietà e la dignità sacramentale del matrimonio», in «*Apollinaris*» 57 (1984) 547 ss.

Quamquam in Novo Codice non amplius retinetur adiectivum «simplex» ad indicandum errorem non determinantem voluntatem (cfr. *Communicationes*, 3 [1971] 76), nihilominus denominatio erroris simplicis adhuc sustinetur in iurisprudentia rotali etiam post Novi Codicis promulgationem. Cfr. ex. gr. coram COLAGIOVANNI, sent. 26 aprilis 1983, in *RRDec.*, vol. LXXV, p. 189, n. 5; coram FIORE, sent. 30 aprilis 1983, in *RRDec.*, vol. LXXV, p. 261, n. 19; coram DE LANVERSIN, sent. 17 octobris 1984, in *RRDec.*, vol. LXXVI, p. 534, n. 4; coram BRUNO, sent. 19 decembris 1984, in *RRDec.*, vol. LXXVI, p. 648, n. 3; coram COLAGIOVANNI, sent. 12 novembris 1985, in *RRDec.*, vol. LXXVII, p. 479, n. 6; coram POMPEDDA, sent. 21 aprilis 1986, Romana, n. 5; coram STANKIEWICZ, sent. 26 iunii 1987, Romana, n. 5; coram GIANNECCHINI, sent. 14 iunii 1988, Romana, n. 5; coram CORSO, sent. 30 ianuarii 1990, Caracen., n. 8; coram FALTIN, sent. 24 martii 1990, Caracen., n. 6.

Etiam in doctrina sunt qui putent quod «*di tale errore tratta pure il rispettivo canone del nuovo Codice, anche se non adopera l'aggettivo "simplex"*» - cfr. GROCHOLEWSKI, Z., «*Positivo l'atto di volontà come causa di nullità del matrimonio secondo il can. 1101 par. 2 del nuovo Codice*», in «*Questioni Canoniche*», 22 (1984) 260.

⁶⁸ Coram BRENNAN, sent. 31 maii 1947, in *SRRDec.*, vol. XXXIX, p. 345, n. 4.

⁶⁹ Coram DOHENY, sent. 7 aprilis 1951, in *SRRDec.*, vol. XLIII, p. 273, n. 6; coram FIORE, sent. 14 iulii 1961, in *SRRDec.*, vol. LIII, p. 395, n. 3; coram HUOR, sent. 5 iulii 1975, in *RRDec.*, vol. LXVII, pp. 453-454, n. 3; coram POMPEDDA, sent. 27 martii 1984, in *RRDec.*, vol. LXXVI, p. 190, n. 4.

⁷⁰ Coram PALAZZINI, sent. 12 martii 1969, in *SRRDec.*, vol. LXI, p. 258, n. 6; coram PINTO, sent. 6 novembris 1972, in *SRRDec.*, vol. LXIV, p. 673, n. 3; coram SERRANO, sent. 13 ianuarii 1984, in *RRDec.*, vol. LXXVI, p. 13, n. 7.

⁷¹ Coram POMPEDDA, sent. 5 iulii 1983, in *RRDec.*, vol.

Namque varii mentis status circa obiectum haud congruens cum doctrina catholica de matrimonio eiusque proprietatibus essentialibus, ex realitate factorum deprompti, puta alterutrius partis in causa «*opinionones, suspensiones, dubia, praevisiones*»⁷², «*animi seu mentis dispositio vel inclinatio*»⁷³, «*ignorantia*»⁷⁴, «*erronea conscientia*»⁷⁵, «*ideologia*»⁷⁶, «*erronea mentis forma*»⁷⁷ vel generatim «*falsae seu erroneae opinionones, ideae, sententiae et persuasiones*»⁷⁸, iuxta iurisprudentiale dictamen in simplicem redundant errorem⁷⁹, qui natura sua mere speculativus est, atque

LXXV, p. 391, n. 2. Cfr. coram ANNÉ, sent. 7 novembris 1972, in *SRRDec.*, vol. LXIV, p. 683, n. 5; coram HUOT, sent. 10 novembris 1987, Taurinen., n. 10.

⁷² Coram FIORE, sent. 16 iulii 1966, in *SRRDec.*, vol. LVIII, p. 594, n. 3.

⁷³ Coram PINTO, sent. 6 novembris 1972, in *SRRDec.*, vol. LXIV, p. 675, n. 5; coram BEJAN, sent. 21 novembris 1973, in *SRRDec.*, vol. LXV, p. 776, n. 4; coram PARISELLA, sent. 14 ianuarii 1982, in *RRDec.*, vol. LXXIV, p. 21, n. 3; coram DAVINO, sent. 21 aprilis 1988, Baren., n. 4.

⁷⁴ Coram FILIPIAK, sent. 23 martii 1956, in *SRRDec.*, vol. XLVIII, p. 256, n. 2; coram GIANNECCHINI, sent. 14 iunii 1988, Romana, n. 5.

⁷⁵ Coram MASALA, sent. 18 martii 1970, in *SRRDec.*, vol. LXII, p. 277, n. 4; coram DE LANVERSIN, sent. 17 octobris 1984, in *RRDec.*, vol. LXXVI, p. 535, n. 4.

⁷⁶ Coram FIORE, sent. 30 aprilis 1983, in *RRDec.*, vol. LXXV, p. 261, n. 19.

⁷⁷ Coram FERRARO, sent. 26 martii 1974, in *SRRDec.*, vol. LXVI, p. 231, n. 7.

⁷⁸ Coram MASALA, sent. 18 martii 1970, in *SRRDec.*, vol. LXII, p. 277, n. 4; coram DE LANVERSIN, sent. 17 octobris 1984, in *RRDec.*, vol. LXXVI, p. 534, n. 3; coram COLAGIOVANNI, sent. 4 februarii 1986, Meliten., n. 8; coram FUNGHINI, sent. 22 februarii 1989, Reg. Lati seu Romana, n. 2.

⁷⁹ Cfr. coram FIORE, sent. 16 decembris 1969, in *SRRDec.*, vol. LXI, p. 1155, n. 3.

«*manet in intellectu quin voluntatem moveat*»⁸⁰. Quare inefficaciam canonicam huiusmodi erroris iuris, dicti simplicis seu speculativi, qui iuxta legis positivae praescriptum non vitiat consensum matrimonialem (can. 1099), iurisprudentialis interpretatio, non secus ac doctrinalis, tribuit tum indoli mere intellectivae id genus iudicii erronei, non impediens actum voluntatis sibi contrarium seu verum consensum matrimonialem⁸¹, tum praevalentiae intentionis generalis contrahendi matrimonium prouti divinitus est institutum super tali errore particolari⁸², quae verbis

⁸⁰ Coram PINTO, sent. 6 novembris 1972, in *SRRDec.*, vol. LXIV, p. 673, n. 3; sent. 14 novembris 1986, Caracen., n. 3.

⁸¹ Agitur de communi opinione - cfr. ABATE, A.M., «*Il consenso matrimoniale nel nuovo Codice di diritto canonico*», in «*Apollinaris*» 59 (1986) p. 470; VILADRICH, P.J., «*De consensu matrimoniali*», in «*Codigo de Derecho Canonico. Edicion bilingüe y anotada*», Pamplona, 1987⁴, pp. 661-662, ad can. 1099.

Cfr. etiam AGUSTONI, G., «*Esclusione ipotetica dell'indissolubilità del vincolo matrimoniale*», in AA.VV., «*Il consenso matrimoniale canonico*», Roma, 1988, p. 46: «*E' importante notare a questo punto che la irrilevanza giuridica di tale errore non deriva dalla legge che si limita a dichiarare la non-efficacia del "simplex error", ma essenzialmente dalla natura del processo psicologico della volizione. La ragione è evidente: il consenso, unica causa efficiente del matrimonio, è successivo, non solo, ma ontologicamente distinto e dall'esame critico, di cui sopra, e dalla 'causa motiva' o 'finalis'*».

Sub vetere Codice quidam putabant inefficaciam erroris simplicis, de quo sermo erat in can. 1084, oriri ex eo quod respicit elementa substantialia matrimonii, quorum actuatio non causatur immediate a voluntate contrahentium, sed a voluntate divina - cfr. MICHIELS, G., *Principia generalia de personis in Ecclesia*, Parisiis-Tornaci-Romae, 1955², p. 657.

⁸² BENEDICTUS XIV, *De synodo diocesana*, lib. 13, cap. 23, n. 7 (Mechliniae, 1842, t. IV, pp. 190-191). Cfr. PARISELLA, I., *De pervicaci seu radicato errore* (supra nt. 28), p. 138.

vel signis in celebrando matrimonio adhibitis insita praesumitur (can. 1101 § 1)⁸³.

Iamvero placita erronea circa matrimonii indissolubilitatem, unitatem et dignitatem sacramentalem, obiectum falsi iudicii seu erroris efformantia, per se in sphaera intellectus tantum manent nec processum formationis decisionis matrimonialis ingrediuntur, quia indole sua simpliciter *iudicium speculativum* efficiunt, id est sine respectu ad practicam agendi rationem⁸⁴ seu ad opus⁸⁵.

Qui enim ex. gr. placita divortii admittit,

*«in cogitationem ordinarie non venit ut illa in proprium applicet matrimonium, quia ad futurum eventum longe positum quod spectat simplici actu iudicii speculativi maxime experiri potest praesensionem seu praevisionem eventualis separationis vel etiam divortii, minime vero internam anticipationem exsequendi perspectam violationem obligationis indissolubilitatis»*⁸⁶.

⁸³ Cfr. DOMINE, H., *L'errore semplice* (supra nt. 67), p. 92; FUMAGALLI CARULLI, O., *Il matrimonio canonico dopo il Concilio: capacità e consenso*, Milano, 1978, pp. 120-123; ALDANONDO SALAVERRIA, M.I., *Mentalidad divorcista* (supra nt. 67), p. 147 ss.; HAYOIT, P., «La conception "existentielle" du mariage et ses répercussions en matière d'erreur», in «Revue de Droit Canonique» 33 (1983) 45 ss.; COLANTONIO, R., «Valore della presunzione del can. 1101 § 1 del C.I.C.», in «Il Diritto Ecclesiastico» 95 (1984) 1-2, I, pp. 176 ss.

⁸⁴ Coram STANKIEWICZ, sent. 29 ianuarii 1981, in *RRDec.*, vol. LXXIII, p. 50, n. 10.

⁸⁵ Nam iuxta doctrinam S. THOMAE «intellectus speculativus est, qui quod apprehendit, non ordinat ad opus, sed ad solam veritatis considerationem; practicus vero intellectus dicitur, qui hoc quod apprehendit, ordinat ad opus» (*Summa Theol.*, I, q. 79, a. 11 in c.) - coram PINTO, sent. 6 novembris 1972, in *SRRDec.*, vol. LXIV, p. 673, n. 3; coram FERRARO, sent. 10 aprilis 1984, Salernitana, n. 5; coram PINTO, sent. 30 martii 1987, Matriten., n. 5.

⁸⁶ Coram STANKIEWICZ, sent. 26 iunii 1987, Romana, n. 5a.

Quare non eo ipso quod quis reputatur «*massonicus, vel communista, vel acatholicus, vel areligiosus*»⁸⁷ aut «*sua-sor et fautor divortii*», statim dicendus est «*necessario contraxisse iuxta suam divortisticam mentem*»⁸⁸.

Nam in errore, qui «*simplex*» dicitur,

*«agitur de falso intellectus iudicio, cuius obiectum, quatenus errore infectum, non est obiectum voluntatis contrahentis qua tale; quapropter, in hac significatione, error aliquomodo in intellectu continetur neque ab isto separatur»*⁸⁹.

Demum iuxta praesumptionem communis et constantis iurisprudentiae⁹⁰ eiusmodi error iuris «*absorbetur praevalenti communi voluntate ineundi matrimonium utpote a Deo Creatore ac Salvatore institutum*»⁹¹, etiamsi «*non probetur quempiam doctrinam Christi, notam habere, immo, etiamsi probetur quempiam illam excludere*», quia «*remanet contrahentem de facto plerumque ad matrimonium ineundum, prout a Deo est institutum, impelli motivis ordinis psychologici, quae cum divina ordinatione congruunt*»⁹².

⁸⁷ Coram RAAD, sent. 28 octobris 1974, in *SRRDec.*, vol. LXVI, p. 714, n. 7.

⁸⁸ Coram FUNGHINI, sent. 12 novembris 1986, Romana, n. 7.

⁸⁹ Coram POMPEDDA, sent. 21 aprilis 1986, Romana, n. 5; cfr. coram DORAN, sent. 20 novembris 1987, Romana, n. 8.

⁹⁰ Cfr. coram ANNÉ, sent. 2 aprilis 1968, in *SRRDec.*, vol. LX, p. 289, n. 2: «*In hac inquisitione facienda pharus est praesumptio iurisprudentiae, iuxta quam homines existimantur matrimonium contrahere velle prout id a Deo creante est institutum*».

⁹¹ Coram AGUSTONI, sent. 30 novembris 1977, in *RRDec.*, vol. LXIX, pp. 475-476, n. 14. Cfr. etiam coram EWERS, sent. 18 maii 1968, in *SRRDec.*, vol. LX, p. 349, n. 10; coram CZAPLA, sent. 28 aprilis 1970, in *SRRDec.*, vol. LXII, p. 393, n. 2; coram PINTO, sent. 6 novembris 1972, in *SRRDec.*, vol. LXIV, p. 674, n. 4; coram HUOT, sent. 22 aprilis 1982, in *RRDec.*, vol. LXXIV, p. 194, n. 6; coram DAVINO, sent. 18 februarii 1983, in *RRDec.*, vol. LXXV, p. 34, n. 2; coram BRUNO, sent. 19 decembris 1984, in *RRDec.*, vol. LXXVI, p. 649, n. 5; coram PALESTRO, sent. 26 octobris 1988, Caracen., n. 4.

⁹² Coram MASALA, sent. 6 martii 1974, in *SRRDec.*, vol. LXVI, p. 184, n. 7.

His igitur de causis lex ecclesialis prudenter cavet legitimae coartationi effectuum iuridicorum talis erroris speculativi circa unitatem, indissolubilitatem et sacramentalem matrimonii dignitatem, qui natura sua, tamquam iudicium speculativum, voluntatem matrimonialem haud determinat atque non vitiat consensum matrimonialem (can. 1099).

2. *Individuatio pervicacis seu radicati erroris in voluntatem ingredientis*

Error, cum sit actus positivus assensus mentis in falsum, sub directo voluntatis influxu determinatur et elicitur⁹³. Nam sub adspectu epistemologico causa efficiens erroris ponitur in voluntate, perspecto quod «*intellectus assentit inquantum a voluntate movetur*»⁹⁴. Quare falsum iudicium non fertur, nisi sub voluntatis influxu⁹⁵.

Alia ex parte, cum intellectus etiam moveat voluntatem per modum finis⁹⁶, et «*ratio quodammodo voluntatem praecedat et ordinat ad actum eius inquantum scilicet voluntas in suum obiectum tendit secundum ordinem rationis*»⁹⁷, in foro iurisprudentiali interdum affirmatur quod omnis error influit in voluntatem eamque afficit⁹⁸.

⁹³ Cfr. MORANDINI, F., *Critica* (supra nt. 1), pp. 299, 301; LLANO, A., *Filosofia della conoscenza* (supra nt. 61), p. 62.

⁹⁴ S. THOMAS., *Summa Theologica*, I-II, q. 15, art. 1, ad 3. Cfr. FECHER, V.J., *Error* (supra nt. 61), p. 36.

⁹⁵ MORANDINI, F., *Critica* (supra nt. 1), p. 302; LLANO, A., *Filosofia della conoscenza* (supra nt. 61), p. 62.

⁹⁶ S. THOMAS., *Summa Theol.*, I, q. 82, art. 4, in c.: «*et hoc modo intellectus movet voluntatem, quia bonum intellectus est obiectum voluntatis et movet ipsam ut finis*».

⁹⁷ S. THOMAS., *Summa Theol.*, I-II, q. 13, art. 1, in c.

⁹⁸ Coram MASALA, sent. 6 martii 1974, in *SRRDec.*, vol.

Re tamen assensus in falsum, sub voluntatis influxu efformatus, non est actus voluntatis sed intellectus, quia distinguitur a consensu, qui proprie est actus voluntatis⁹⁹. Assensus enim indicat adspectum subiectivum et reflexivum iudicii; est iudicium in quantum fit actus personalis, personam obstringens, et medium, quo realitas ab ea apprehenditur¹⁰⁰.

Sed iuxta epistemologiae praecepta nec voluntas ad errorem imperandum necessario fertur¹⁰¹, neque iudicium falsum, a voluntate causatum, eam «ad unum» determinat¹⁰².

Item sub adspectu psychologico iudicium valoris,

LXVI, p. 181, n. 5: «*Error autem, instar veritatis, prouti est actus intellectus, semper influat in voluntatem, quae movetur in obiectum praevis cognitum, et quidem prouti est cognitum*». Cfr. etiam coram SABATTANI, sent. 11 decembris 1964, in *SRRDec.*, vol. LVI, p. 927, n. 4.

Quoad doctrinam - cfr. NAVARRETE, U., «*Schema iuris recogniti "De matrimonio". Textus et observationes in "Periodica" 63 (1974) 637: "Omnis enim error afficit voluntatem. Quaestio hic est utrum afficiat tali in gradu ut consensum matrimoniale vitiet. Si autem indicare intenditur non afficere tali gradu, tunc committeretur mera tautologia*».

Quidam tamen contrarium tenent sicuti GRAZIANI, E., «*Mentalità divorzistica ed esclusione della indissolubilità del matrimonio*», in «*Studi in onore di P.A. D'Avack*», vol. II, Milano, 1976, p. 686, n. 11.

⁹⁹ Agitur de intellectu possibili iuxta doctrinam thomisticam - cfr. LONERGAN, B., *Conoscenza e interiorità: Il Verbum nel pensiero di S. Tommaso* (tr. Ital.), Bologna, 1984, p. 88.

¹⁰⁰ Ibid., p. 89.

¹⁰¹ MORANDINI, F., *Critica* (supra nt. 1), p. 304.

¹⁰² S. THOMAS, *Contra Gentiles*, lib. II, cap. 48, n. 5: «*Quaecumque igitur habent iudicium de agendis non determinatum ad unum a natura, necesse est liberi arbitrii esse*». *Summa Theol.*, I, q. 83, art. 3, in c.: «*Ex hoc liberi arbitrii esse dicimur, quod possumus unum recipere, alio recusato, quod est eligere*».

Hoc principium receptum est in doctrina et iurisprudentia -

prout supra memoravimus, conformem sibi decisionem haud necessario determinabit¹⁰³.

Aliter tamen dicendum quoties agitur de errore practico, qui non solum circa proprium obiectum versatur, sicut error theoreticus, sed qui dirigit alias potentias et tunc efficitur, quando voluntatis ac facultatum inferiorum inclinationes regulae morali, a ratione propositae, iam non adequantur¹⁰⁴. Nam ex inclinatione adhaerendi falsis iudiciis gressus fit ad «*praeiudicia falsa*» nec non ad «*tenaces affectiones retinendi et applicandi haec praeiudicia*», et «*pedetentim proceditur ad diversos malos habitus errandi*»¹⁰⁵.

Sub adspectu psychologico tunc sermo fit de actitudinibus, quae, ut supra dictum est, elementa naturae cognitivae, affectivae et volitivae continent atque important dispositiones habituales respondendi ad obiecta, eligendi proprios valores atque evolvendi iudicia habitualia nec non actiones habituales seu habitudines¹⁰⁶.

Iurisprudentia rotalis in id genus elementa epistemologica ac psychologica adhaesionis mentis in placita erronea considerationem intendens, potissimum vero in

cfr. AGUSTONI, G., *Esclusione ipotetica dell'indissolubilità* (supra nt. 81), p. 47; coram MASALA, sent. 6 martii 1974, in *SRRDec.*, vol. LXVI, p. 181, n. 5; coram AGUSTONI, sent. 17 martii 1976, in *RRDec.*, vol. LXVIII, p. 122, n. 4: «*Plura ergo intellectus proponit voluntati, quae deliberando consentit et unum eligit. Quod unum prae ceteris eligit, quia ipsa voluntas aliquam speciem boni eidem superaddi, ut prae ceteris bonis contingentibus appetatur*».

¹⁰³ Cfr. RULLA, L.M., *Antropologia*, I (supra nt. 12), p. 103.

¹⁰⁴ LLANO A., *Filosofia della conoscenza* (supra nt. 61), p. 61.

¹⁰⁵ MORANDINI, F., *Critica* (supra nt. 1), p. 303.

¹⁰⁶ RULLA, L.M., *Antropologia*, I (supra nt. 12), p. 118.

«principium motricitatis idearum et imaginum, secundum quod imago et idea eo maiorem efficaciam obtinet, scilicet eo fortius ad imperandum impellit, quo vividior et profundior exstat, quo latius in interiore animo personat»¹⁰⁷,

relevantiam iuridicam agnovit erroris voluntatem attrahentis, priusquam nova norma lata est de errore voluntatem determinante (can. 1099)¹⁰⁸.

Error huiusmodi, qui in sermone forensi etiam hucusque nuncupatur *«tenacius in mente insidens»¹⁰⁹, «funditus inditus»¹¹⁰, «inveteratus»¹¹¹, «radicatus»¹¹², «radicescens et invincibilis»¹¹³, «operativus seu*

¹⁰⁷ Coram FELICI, sent. 13 iulii 1954, in *SRRDec.*, vol. XLVI, p. 616, n. 4. Cfr. coram EWERS, sent. 18 maii 1968, in *SRRDec.*, vol. LX, p. 350, n. 12; coram STANKIEWICZ, sent. 26 iunii 1987, Romana, n. 5.

¹⁰⁸ De historia formulationis can. 1099 - cfr. STANKIEWICZ, A., *Errore* (supra nt. 67), pp. 557-559.

¹⁰⁹ Coram CANESTRI, sent. 16 aprilis 1946, in *SRRDec.*, vol. XXXVIII, p. 235, n. 5; coram JULIEN, sent. 2 aprilis 1947, in *SRRDec.*, vol. XXXIX, p. 221, n. 3; coram ANNÉ, sent. 1 iulii 1969, in *SRRDec.*, vol. LXI, p. 681, n. 4; coram BRUNO, sent. 23 iulii 1982, in *RRDec.*, vol. LXXIV, p. 435, n. 4.

¹¹⁰ Coram COLAGIOVANNI, sent. 18 octobris 1986, Venetiarum seu Veronen., n. 15.

¹¹¹ Coram STANKIEWICZ, sent. 14 octobris 1978, in *RRDec.*, vol. LXX, p. 439, n. 8; coram COLAGIOVANNI, sent. 18 octobris 1986, Venetiarum seu Veronen., n. 15.

¹¹² Coram FELICI, sent. 13 iulii 1954, in *SRRDec.*, vol. XLVI, p. 616, n. 4; coram PINTO, sent. 6 novembris 1972, in *SRRDec.*, vol. LXIV, p. 674, n. 4; coram AGUSTONI, sent. 21 novembris 1975, in *RRDec.*, vol. LXVII, p. 635, n. 3; coram STANKIEWICZ, sent. 23 iunii 1978, in *RRDec.*, vol. LXX, p. 373, n. 6; coram COLAGIOVANNI, sent. 20 iulii 1984, in *RRDec.*, vol. LXXVI, p. 487, n. 5; sent. 12 novembris 1985, in *RRDec.*, vol. LXXVII, p. 479, n. 6; coram FIORE (FALTIN Extens.), sent. 28 novembris 1987, Romana, n. 9.

¹¹³ Coram SABATTANI, sent. 11 decembris 1964, in *SRRDec.*,

determinativus»¹¹⁴, «*persuasivus*»¹¹⁵, «*practicus*»¹¹⁶, «*qualificatus*»¹¹⁷, potissimum vero «*pervicax*»¹¹⁸, iuxta iurisprudentiae dictamen tunc verificatur, si errantis «*novam veluti eius naturam constituat*»¹¹⁹, seu si placi-

vol. LVI, p. 930, n. 6; coram STANKIEWICZ, sent. 26 iunii 1987, Romana, n. 5.

¹¹⁴ Coram FERRARO, sent. 10 aprilis 1984, Salernitana, n. 5.

¹¹⁵ Coram COLAGIOVANNI, sent. 2 decembris 1987, Romana, n. 9.

¹¹⁶ Coram DOHENY, sent. 23 maii 1955, in *SRRDec.*, vol. XLVII, p. 431, n. 2; coram MASALA, sent. 15 martii 1983, in *RRDec.*, vol. LXXV, p. 109, n. 4; coram POMPEDDA, sent. 5 iulii 1983, in *RRDec.*, vol. LXXV, p. 391, n. 2; coram STANKIEWICZ, sent. 26 iunii 1987, Romana, n. 5.

¹¹⁷ Coram STANKIEWICZ, decr. 12 novembris 1981, Romana, n. 2. Cfr. SCHEUERMANN, A., «*Die irrtümliche Eheauffassung. Die Problematik des can. 1084 in der Rechtsprechung der S.R. Rota*», in «*Österreichisches Archiv für Kirchenrecht*», 17 (1966) 171 ss.

¹¹⁸ Coram ANNÉ, sent. 2 aprilis 1968, in *SRRDec.*, vol. LX, p. 289, n. 2; coram ROGERS, sent. 27 novembris 1973, in *SRRDec.*, vol. LXV, pp. 794-795, n. 3; coram AGUSTONI, sent. 17 martii 1976, in *RRDec.*, vol. LXVIII, p. 122, n. 4; coram STANKIEWICZ, sent. 23 iunii 1978, in *RRDec.*, vol. LXX, p. 373, n. 6; coram PARISELLA, sent. 7 iunii 1979, in *RRDec.*, vol. LXXI, p. 348, n. 3; coram BRUNO, sent. 14 decembris 1984, in *RRDec.*, vol. LXXVI, pp. 648-650, nn. 4-6; sent. 31 maii 1985, in *RRDec.*, vol. LXXVII, p. 273, n. 4; coram COLAGIOVANNI, sent. 18 octobris 1986, Venetiarum seu Veronen., n. 15.

¹¹⁹ Coram FELICI, sent. 13 iulii 1954, in *SRRDec.*, vol. XLVI, p. 616, n. 4: «...*si error sit ita in animo contrahentis radicans ut novam veluti eius naturam constituat, difficilius admittitur dissensio (i.e. inter positivum voluntatis actum et iudicium erroneum) de qua diximus: nam generatim homo operatur prouti profunde sentit...*». Cfr. coram EWERS, sent. 18 maii 1968, in *SRRDec.*, vol. LX, p. 350, n. 12; coram POMPEDDA, sent. 23 ianuarii 1971, in *SRRDec.*, vol. LXIII, p. 54, n. 2; coram DE LANVERSIN, sent. 6 novembris 1980, in *RRDec.*, vol. LXXII, p. 711, n. 4; coram SERRANO, sent. 27 ianuarii 1984, in *RRDec.*, vol. LXXVI, p. 57, n. 12; coram STANKIEWICZ, sent. 26 iunii 1987, Romana, n. 5; coram HUOR, sent. 10 novembris 1987, Taurinen., n. 9.

ta erronea «*veluti in naturam verterint*»¹²⁰, vel si error «*penetret et attrahat personalitatem*»¹²¹ ipsius contrahentis.

Tunc enim erroneae de matrimonii natura sententiae, veluti «*incarnatae*» in persona¹²², in allegorica descriptione earum efficaciae «*sicut oleum effusum, ita totam personam imbibant ut contrahentis conscientia erronea evadat, ac agens persona nonnisi ex istius conscientiae erroneae dictamine agat*»¹²³. Nam in aestimatione iurisprudentiali placita erronea si in mente hominis tenacius insideant ac fiant veluti «*nova*

¹²⁰ Coram FELICI, sent. 24 martii 1953, in *SRRDec.*, vol. XLV, p. 227, n. 2: «...si huiusmodi sententiae veluti in naturam verterint, adeo ut aliter sentire et operari pars contrahens haud quaquam credi possit...». Cfr. coram FELICI, sent. 28 februarii 1950, in *SRRDec.*, vol. XLII, p. 103, n. 2; coram DE JORIO, sent. 14 februarii 1968, in *SRRDec.*, vol. LX, p. 102, n. 4; coram EWERS, sent. 18 maii 1968, in *SRRDec.*, vol. LX, p. 350, n. 12; coram PINTO, sent. 6 novembris 1972, in *SRRDec.*, vol. LXIV, p. 674, n. 4; coram AGUSTONI, sent. 17 martii 1976, in *RRDec.*, vol. LXVIII, p. 123, n. 6; coram COLAGIOVANNI, sent. 4 februarii 1986, Meliten., n. 8.

¹²¹ Coram FELICI, sent. 17 decembris 1957, in *SRRDec.*, vol. XLIX, p. 844, n. 3. Cfr. coram FIORE, sent. 14 iulii 1961, in *SRRDec.*, vol. LIII, p. 394, n. 2; coram SABATTANI, sent. 11 decembris 1964, in *SRRDec.*, vol. LVI, p. 926-927, n. 4; coram MASALA, sent. 6 martii 1974, in *SRRDec.*, vol. LXVI, p. 185, n. 8; coram STANKIEWICZ, sent. 23 iunii 1978, in *RRDec.*, vol. LXX, p. 373, n. 6; coram BRUNO, sent. 19 decembris 1984, in *RRDec.*, vol. LXXVI, p. 649, n. 4; coram COLAGIOVANNI, sent. 18 octobris 1986, Venetiarum seu Veronen., n. 15; coram FIORE (FALTIN, Extens.), sent. 16 aprilis 1988, Romana, n. 9.

¹²² Coram FIORE, sent. 30 aprilis 1983, in *RRDec.*, vol. LXXV, p. 261, n. 19.

¹²³ Coram MASALA, sent. 18 martii 1970, in *SRRDec.*, vol. LXII, p. 277, n. 4; coram COLAGIOVANNI, sent. 26 aprilis 1983, in *RRDec.*, vol. LXXV, p. 194, n. 16; coram DE LANVERSIN, sent. 17 octobris 1984, in *RRDec.*, vol. LXXVI, p. 535, n. 4.

eius natura», tunc «eiusdem voluntatem veluti irresistibiliter trahant»¹²⁴, cum ipse «aliter nolit quam cogitet, aliter non agat vel operetur quam mente volutet»¹²⁵. Iamvero, stante errore ita «radicescenti et proinde invincibili, intellectus non subministrat voluntati nisi illam speciem coniugii solubilis, in quam demum voluntas consentit»¹²⁶.

Idque fit propter unitatem actuum intellectus et voluntatis, epistemologice consideratam, quae «unitatem subiecti» nec non «mutuam obiectorum formalium implicationem atque identitatem realem» exprimit, ex qua «unus idemque actus est simul iudicium volitum et volitio iudicata»¹²⁷.

Haec unitas intellectus et voluntatis iuxta principium iurisprudientiale maximam attingit «earundem

¹²⁴ Coram POMPEDDA, sent. 23 ianuarii 1971, in *SRRDec.*, vol. LXIII, p. 54, n. 2; coram HUOT, sent. 10 novembris 1987, Taurinen., n. 9.

¹²⁵ Coram FELICI, sent. 17 decembris 1957, in *SRRDec.*, vol. XLIX, p. 844, n. 3.

Hoc subtile effatum factum est principium iurisprudientiale et hucusque repetitur in pluribus sententiis, cfr. ex. gr. coram FIORE, sent. 14 iulii 1961, in *SRRDec.*, vol. LIII, pp. 394-395, n. 2; coram ABBO, sent. 6 novembris 1969, in *SRRDec.*, vol. LXI, p. 979, n. 3; coram AGUSTONI, sent. 17 martii 1976, in *RRDec.*, vol. LXVIII, p. 123, n. 6; coram STANKIEWICZ, sent. 23 iunii 1978, in *RRDec.*, vol. LXX, p. 373, n. 6; coram HUOT, sent. 22 aprilis 1982, in *RRDec.*, vol. LXXIV, p. 194, n. 5; coram BRUNO, sent. 14 decembris 1984, in *RRDec.*, vol. LXXVI, p. 649, n. 4; coram STANKIEWICZ, sent. 26 iunii 1987, Romana, n. 5; coram FIORE (FALTIN Extens.), sent. 16 aprilis 1988, Romana, n. 9; coram MASALA, sent. 25 ianuarii 1989, Romana, n. 3.

¹²⁶ Coram SABATTANI, sent. 11 decembris 1964, in *SRRDec.*, vol. LVI, p. 928, n. 4.

¹²⁷ DE FINANCE, I., *De actu humano ut libero*, Romae, 1964-1965, p. 13. Cfr. PARISELLA, I., *De pervicaci seu radicato errore* (supra nt. 28), p. 160.

facultatum commixtionem et actuum unicitationem»¹²⁸ in firma ac intima animi adhaesione erroneis placitis, ex qua voluntatis determinatio iisdem placitis conformis faciliter prorumpi potest. Error enim radicans «*seu qui profunde personalitatem perfundit atque ideo ipsam voluntatem pervertit, facile traducitur in actum voluntatis*»¹²⁹.

3. *Dynamismus erroris voluntatem determinantis*

In aestimatione iurisprudentiali dynamismus pervicacis seu radicati erroris bina in sphaera exprimitur, in extenuanda scilicet praesumptione de voluntate generali matrimonium celebrandi prout a Deo Creatore institutum est, atque in reddendo faciliiori gressu placitorum in voluntatem¹³⁰.

In priore ambitu dynamismus tenacioris erroris maxime debilitat illam praesumptionem, ex generali voluntate haustam, sive apud acatholicos erronea

¹²⁸ Coram EWERS, sent. 18 maii 1968, in *SRRDec.*, vol. LX, p. 351, n. 15; coram ANNÉ, sent. 1 iulii 1969, in *SRRDec.*, vol. LXI, p. 681, n. 4; coram STANKIEWICZ, sent. 23 iunii 1978, in *RRDec.*, vol. LXX, p. 373, n. 6; coram HUOT, sent. 22 aprilis 1982, in *RRDec.*, vol. LXXIV, p. 194, n. 6.

¹²⁹ Coram COLAGIOVANNI, sent. 11 decembris 1985, in *RRDec.*, vol. LXXVII, p. 579, n. 5; sent. 18 octobris 1986, Venetiarum seu Veronen., n. 15.

¹³⁰ Cfr. PARISELLA, I., *De pervicaci seu radicato errore* (supra nt. 28), p. 148; GROCHOLEWSKI, Z., «*Relatio inter errorem et positivam indissolubilitatis exclusionem in nuptiis contrahendis*», in «*Periodica*», 69 (1980) pp. 595-597; COLANTONIO, R., *Valore della presunzione* (supra nt. 83), pp. 204-205; VILLEGGIANTE, S., «*Errore e volontà simulatoria nel consenso matrimoniale in diritto canonico*», in AA.VV., «*La nuova legislazione matrimoniale canonica*», Città del Vaticano, 1986, pp. 136 ss.

placita profitentes¹³¹, sive apud catholicos «*qui cum acatholicis communem habent errorem de matrimonii natura et essentialibus proprietatibus*»¹³².

Enimvero iuxta principium iurisprudentialie, communiter admissum, «*quo tenacior est error, eo debiliior est praesumptio voluntatem illam generalem respiciens matrimonium contrahendi, sicut a Deo institutum est, vel sicut ceteri homines contrahere solent*»¹³³. Immo talis praesumptio «*factis certis et univocis eliditur*»¹³⁴; inde «*petitionis principium sapit et in pluribus deficit*»¹³⁵, atque in errore voluntatem determinante non amplius admitti potest¹³⁶.

In altero vero ambitu dynamismus erroris pervicacis seu radicati «*faciliorem reddit*», ut dici consuevit, placitorum erroneorum transitum in voluntatem; itemque iuxta communis iurisprudentiae principium: «*quo tenacior est error, eo facilior ad positivum voluntatis actum gressus existimandus*»¹³⁷.

¹³¹ Coram BEJAN, sent. 10 maii 1967, in *SRRDec.*, vol. LIX, pp. 346-347, n. 5.

¹³² Coram EWERS, sent. 18 maii 1968, in *SRRDec.*, vol. LX, p. 346, n. 4; p. 351, n. 15; coram HUOT, sent. 22 aprilis 1982, in *RRDec.*, vol. LXXIV, p. 194, n. 6.

¹³³ Coram PARISELLA, sent. 16 decembris 1976, Tarvisina, n. 3; coram BRUNO, sent. 23 iulii 1982, in *RRDec.*, vol. LXXIV, p. 435, n. 4. Cfr. coram ANNÉ, sent. 2 aprilis 1968, in *SRRDec.*, vol. LX, p. 289, n. 2; coram PARISELLA, sent. 21 octobris 1971, Vestmonasterien., n. 9; coram SERRANO, sent. 1 martii 1974, in *SRRDec.*, vol. LXVI, p. 150, n. 4; coram FIORE (FALTIN Extens.), sent. 28 novembris 1987, Romana, n. 9.

¹³⁴ Coram BEJAN, sent. 10 maii 1967, in *SRRDec.*, vol. LIX, p. 347, n. 5; coram ABBO, sent. 6 novembris 1969, in *SRRDec.*, vol. LXI, p. 979, n. 3.

¹³⁵ Coram EWERS, sent. 18 maii 1968, in *SRRDec.*, vol. LX, p. 351, n. 15.

¹³⁶ Coram STANKIEWICZ, sent. 26 iunii 1987, Romana, n. 5.

¹³⁷ Coram PARISELLA, sent. 16 decembris 1976, Tarvisina, n.

Cum vero in Codice Pio-Benedictino non extiterit expressum legis praescriptum de errore voluntatem determinante tamquam de figura autonoma, rotalis iurisprudentia praesumptionem de faciliiori transitu placitorum in voluntatem interpretari coepit adhibito criterio «*positivi voluntatis actus*», iure requisiti ad perficiendam exclusionem seu simulationem, consensum matrimonialem invalidantem ex can. 1086 § 2, minuendo ipsius erroris momento.

Namque «*si error a cognoscitiva facultate in appetitivam transmeatur, improprie, ni aequivoce, illud adhuc errorem vocaberis*»: re enim «*tantam exserit vim in appetitum rationalem ut fiat actus positivus consensum ipsum afficiens*»¹³⁸. Error igitur vocari nequit qui «*revera est actus positivus voluntatis*»¹³⁹. Qua in re cavendum esse monemur «*ne denegetur necessitas actus positivi voluntatis*»¹⁴⁰, neve actus positivus ae-

3; coram BRUNO, sent. 23 iulii 1982, in *RRDec.*, vol. LXXIV, p. 435, n. 4. Cfr. etiam coram JULLIEN, sent. 2 aprilis 1947, in *SRRDec.*, vol. XXXIX, p. 221, n. 3; coram ANNÉ, sent. 2 aprilis 1968, in *SRRDec.*, vol. LX, p. 289, n. 2; coram EWERS, sent. 18 maii 1968, in *SRRDec.*, vol. LX, p. 351, n. 15; coram PARISELLA, sent. 21 octobris 1971, Vestmonasterien., n. 9; coram SERRANO, sent. 1 martii 1974, in *SRRDec.*, vol. LXVI, p. 150, n. 4; coram STANKIEWICZ, sent. 14 octobris 1978, in *RRDec.*, vol. LXX, p. 438, n. 6; coram HUOT, sent. 22 aprilis 1982, in *RRDec.*, vol. LXXIV, p. 194, n. 6; coram DE LANVERSIN, sent. 28 februarii 1984, in *RRDec.*, vol. LXXVI, p. 146, n. 7; coram COLAGIOVANNI, sent. 18 octobris 1986, Venetiarum seu Veronen., n. 15; coram FUNGHINI, sent. 12 novembris 1986, Romana, n. 8.

¹³⁸ Coram AGUSTONI, sent. 30 novembris 1977, in *RRDec.*, vol. LXIX, p. 476, n. 14.

¹³⁹ Coram CANALS, sent. 20 iunii 1973, in *SRRDec.*, vol. LXV, p. 514, n. 2.

¹⁴⁰ Coram HUOT, sent. 22 aprilis 1982, in *RRDec.*, vol. LXXIV, p. 195, n. 7.

quetur vel confundatur cum pervicaci errore¹⁴¹, quatenus error huiusmodi «operatur tantummodo mediante voluntate»¹⁴².

Qua de causa efficaciae iuridicae talis erroris, in voluntatem ingredientis, prospectum est, sicut et nunc interdum prospicitur, in ambitu simulationis seu exclusionis elementi vel proprietatis essentialis matrimonii.

Iamvero consensus matrimonialis in hac factispecie vitari quidem dicitur

*«non autem directe per illum errorem enutritum, sed propter positivum voluntatis actum ex eo absolute accepto promanantem, vi cuius errans contrahere intendit coniugium quod solubile, ut censet, alias non contracturus»*¹⁴³.

Inde placita erronea relevantiam canonicam non obtinent absque voluntatis determinatione, «cum radicatus error determinare debeat voluntatem et in positivum voluntatis actum verti, ad simulationem patrandam omnino necessariam»¹⁴⁴.

At sub vetere Codice elaboratum principum iurisprudentialium, in recto ordine psychologico fundatum,

¹⁴¹ Coram FUNGHINI, sent. 12 novembris 1986, n. 8.

¹⁴² Coram SABATTANI, sent. 11 decembris 1964, in *SRRDec.*, vol. LVI, p. 927, n. 3.

Haud mirandum igitur quod nonnumquam negatum est errorem radicatum seu pervicacem constituere «novam quamdam speciem erroris, distinctam ab illo, de quo in can. 1084 C.I.C.» - coram AGUSTONI, sent. 30 novembris 1977, in *RRDec.*, vol. LXIX, p. 476, n. 14.

¹⁴³ Coram MASALA, sent. 6 martii 1974, in *SRRDec.*, vol. LXVI, p. 185, n. 8.

¹⁴⁴ Coram FUNGHINI, sent. 22 februarii 1989, Reg. Latii seu Romana, n. 2.

etsi «*non absolutum*»¹⁴⁵, continere tamen dicebatur praesumptionem facti¹⁴⁶ de faciliiori transitu erroris pervicacis non tantum in voluntatem genericam, sed specificam, videlicet veram exclusionem proprietatis essentialis matrimonii, potissimum vero indissolubilitatis, secumferentem.

Etenim

*«sive pro catholicis sive pro ceteris, illud videtur retinendum esse principium, scilicet quod quo magis in cute et radicitus fovetur accipiturque error, eo facilius statuitur praesumptio pro exclusa essentiali proprietate»*¹⁴⁷.

Quin immo, ex pervicaci seu radicato errore non solum coniciebatur atque conicitur praesumptio de exclusionem positivo voluntatis actu patrata sive expressis verbis, ut puta: «*valde praesumitur, ipsa bona positive exclusisse*»¹⁴⁸, sive acquipollentibus, sicuti:

¹⁴⁵ Coram FUNGHINI, sent. 12 novembris 1986, Romana, n. 8.

¹⁴⁶ Coram PINTO, sent. 6 novembris 1972, in *SRRDec.*, vol. LXIV, p. 674, n. 4.

¹⁴⁷ Coram POMPEDDA, sent. 23 ianuarii 1971, in *SRRDec.*, vol. LXIII, p. 54, n. 2.

Ratio autem praesumptionis haec indicata est: «*Voluntas enim, quae est veluti caeca facultas animi, iuxta ordinarie contingentia sequitur intellectus repraesentationem; eo autem difficilius (etsi id non est impossibile, propter animi praesertim passiones) voluntas deflectitur ab obiecto sibi ab intellectu praesentato, quo interior et vehementior ac magis conscia est defixio et inhaesio intellectus eidem obiecto*» (l.c.).

Attamen, sub adspectu epistemologico, ut docemur, «*voluntas autem nullo modo est facultas caeca, ut saepe dicitur: habet oculos sibi debitos, scilicet intellectum*» - DE FINANCE, I., *De actu humano* (supra nt. 127), p. 14.

¹⁴⁸ Coram FELICI, sent. 13 iulii 1954, in *SRRDec.*, vol. XLVI, p. 617, n. 6. Cfr. etiam coram CANESTRI, sent. 7 iulii 1949, in

«pro actu positivo voluntatis facile concludamus»¹⁴⁹, «prudenter concludi potest iuxta errorem fuisse contractum coniugium»¹⁵⁰, vel: «se iuxta suas ideas contrahere voluisse»¹⁵¹, verum etiam ipsa exclusio, perspecto quod «propter mutatas vitae ac mentium conditiones» error huiusmodi reapse «in uno alterove casu, veram exclusionem» alicuius boni coniugalis «comprehendere potest»¹⁵².

Iamvero, placitis erroris imbutus, seu

«qui ita iuxta suam conscientiam solubile pro lubitu matrimonium inire vult, etsi spem ei effulgeat perpetui consortii in casu felicitis exitus, invalide contrahit» [quia] «positivo voluntatis actu de facto bonum sacramenti detrectat»¹⁵³.

Simili modo dicendum de eo, qui, in casu particulari,

SRRDec., vol. XLI, pp. 355-356, n. 3; coram EWERS, sent. 5 maii 1979, in *RRDec.*, vol. LXXI, p. 243, n. 7.

¹⁴⁹ Coram FELICI, sent. 24 martii 1953, in *SRRDec.*, vol. XLV, p. 227, n. 2. Cfr. coram EWERS, sent. 18 maii 1968, in *SRRDec.*, vol. LX, p. 350, n. 12.

¹⁵⁰ Coram FELICI, sent. 12 maii 1959, in *SRRDec.*, vol. LI, p. 257, n. 2. Cfr. coram CZAPLA, sent. 28 aprilis 1970, in *SRRDec.*, vol. LXII, p. 393, n. 2; coram COLAGIOVANNI, sent. 26 aprilis 1983, in *RRDec.*, vol. LXXV, p. 194, n. 16; coram FIORE (FALTIN Extens.), sent. 28 novembris 1987, Romana, n. 9.

¹⁵¹ Coram BRUNO, sent. 19 decembris 1984, in *RRDec.*, vol. LXXVI, p. 649, n. 5. Cfr. coram COLAGIOVANNI, sent. 4 februarii 1986, Meliten., n. 8.

¹⁵² Coram ANNÉ, sent. 16 februarii 1965, in *SRRDec.*, vol. LVII, pp. 156-157, n. 3. Cfr. coram eodem Pon., sent. 27 octobris 1964, in *SRRDec.*, vol. LVI, p. 765, n. 4; coram DE LANVERSIN, sent. 27 maii 1981, in *RRDec.*, vol. LXXIII, p. 203, n. 4.

¹⁵³ Coram MASALA, sent. 18 martii 1970, in *SRRDec.*, vol. LXII, p. 277, n. 4. Cfr. coram DE LANVERSIN, sent. 3 aprilis 1982, in *RRDec.*, vol. LXXIV, pp. 159-160, n. 5; sent. 28 februarii 1984, in *RRDec.*, vol. LXXVI, p. 196, n. 7.

«iniquam legem divortii suam facit positivo voluntatis actu actualiter vel virtualiter, tunc praeter errorem adest quoque voluntatis determinatio, quae substantiam matrimonii afficit»¹⁵⁴.

Quapropter iurisprudentia rotalis, in singulas factispecies considerationem intendens, affirmare ausa est

«minime esse impossibilem cum illo errore voluntatem eidem proprietati essentiali (scilicet indissolubilitati) contrariam, quae unice vim habet efficiendi irritum vinculum matrimoniale»; [immo] «talis voluntas, saltem implicita, invenitur in eo qui ita persuasum sibi habet — doctrina catholica quam didicit non obstante — de facultate propria divortiandi, ut ab hac persuasionem, quae veluti eius altera natura effecta est, omnino discedere nequeat, neve adsit ratio cur ab eadem, in matrimonii celebratione, recedere debeat»¹⁵⁵.

Aliis verbis: in contrahente tali errore imbuto

«adest saltem voluntas implicita praestandi consensum exclusa matrimonii indissolubilitate, id est voluntas realis, contraria tamen praesumptae voluntati generali, quae, ut dici solet, tali errore deberet praevalere eumque absorbere»¹⁵⁶.

Hisce sane in rerum adiunctis, propter firmam adhaesionem intellectus placitis erroris, assensum in

¹⁵⁴ Coram BEJAN, sent. 10 maii 1967, in *SRRDec.*, vol. LIX, p. 347, n. 5. Cfr. coram EWERS, sent. 15 ianuarii 1977, in *RRDec.*, vol. LXIX, p. 11, n. 4; coram STANKIEWICZ, sent. 23 iunii 1978, in *RRDec.*, vol. LXX, p. 373, n. 5.

¹⁵⁵ Coram FILIPIAK, sent. 23 martii 1956, in *SRRDec.*, vol. XLVIII, p. 256, n. 2. Cfr. coram EWES, sent. 18 maii 1968, in *SRRDec.*, vol. LX, p. 350, n. 13; coram STANKIEWICZ, sent. 23 iunii 1978, in *RRDec.*, vol. LXX, p. 374, n. 9.

¹⁵⁶ Coram STANKIEWICZ, sent. 20 iulii 1984, Romana, n. 4.

falsum etiam sub respectu practico pervadentibus, «*error dici potest inducere nullitatem coniugii, non tam in seipso quam potius propter voluntatem per seipsum vitiatam*»¹⁵⁷, vel prorsus «*ablatam*»¹⁵⁸, etiamsi, «*in casu, magis quam "voluntas ablata" dicenda esset "libertas ablata", et per consequens, actus voluntatis vitiatus*»¹⁵⁹.

Commutatis verbis, «*consensus matrimonialis, tali in casu, "vitiatur" (aufertur) non propter errorem, sed propter voluntatem ab errore determinatam, quae matrimonium iuxta placita erronea*» eligit¹⁶⁰.

Sed iurisprudentiae principia, sub vetere Codice elaborata, quod spectat ad individuationem momenti gressus erroris pervicacis in voluntatem, si theorice considerentur, forsitan continere aliquam "contradictionem" possint apparere, potissimum insitam in his duabus propositionibus, quarum prima respicit «*voluntatem implicitam consensum praestandi, indissolubilitate tamen exclusa*», altera autem insufficientiam solius erroris pervicacis ut contrahentes positivum voluntatis actum «*facilius elicere valeant*»¹⁶¹.

¹⁵⁷ Coram FELICI, sent. 17 decembris 1957, in *SRRDec.*, vol. XLIX, p. 844, n. 3. Cfr. coram DE JORIO, sent. 12 decembris 1973, in *SRRDec.*, vol. LXV, p. 817, n. 5; coram STANKIEWICZ, sent. 26 iunii 1987, Romana, n. 5.

¹⁵⁸ Coram FIORE, sent. 14 iulii 1961, in *SRRDec.*, vol. LIII, p. 395, n. 2.

¹⁵⁹ Coram SABATTANI, sent. 11 decembris 1964, in *SRRDec.*, vol. LVI, p. 928, n. 4.

¹⁶⁰ Coram STANKIEWICZ, sent. 29 ianuarii 1981, in *RRDec.*, vol. LXXIII, p. 50, n. 10; sent. 29 aprilis 1982, in *RRDec.*, vol. LXXIV, p. 249, n. 5. Cfr. coram FIORE (FALTIN Extens.), sent. 28 novembris 1987, Romana, n. 9; sent. 16 aprilis 1988, Romana, n. 9.

¹⁶¹ Cfr. GROCHOLEWSKI, Z., *Relatio inter errorem* (supra nt. 130), p. 598.

Attamen memorata iurisprudentiae principia, ex «*rationibus decidendi*»¹⁶² desumpta, quaeque haud dubie indolem “absolutam” non habent, sub adspectu logico oppositionem contradictoriam non continent, sed potius “sub-contrariam”, attento quod ambo effata vera fieri possunt, non vero falsa¹⁶³.

Et revera: iurisprudentia rotalis momentum influxus nec non transitus erroris pervicacis in voluntatem «*quaestionem meri facti*», non vero «*abstracti iuris*», ex ipsius facti adiunctis iudicandam, tamquam «*sapientissimam normam*» habet ac retinet¹⁶⁴, iuxta quam ideo memorata bina principia aestimari debent.

Quapropter ratio decidendi in aestimanda definiendaque aliqua facti specie sub adspectu substantiali iudicem perducere potest ad individuandam saltem implicitam voluntatem, a pervicaci errore determinatam, atque sufficientem ad declarandam matrimonii nullitatem, puta quandoquidem contrahentes,

*«firmiter haerentes doctrinae indissolubilitati adversae, e suis abstractis placitis devenerint in positivam voluntatem, mutuum ex utraque parte, ita et non aliter nuptias celebrandi»*¹⁶⁵.

¹⁶² Cfr. GORLA, G., «*Ratio decidendi*» e «*obiter dictum*», in «*Diritto comparato e diritto comune europeo*», Milano, 1981. pp. 331 ss.

¹⁶³ Ita GREGOROWICZ, J., *Zarys logiki dla prawników*, Warszawa, 1962, p. 120.

¹⁶⁴ Coram AGUSTONI, sent. 30 novembris 1977, in *RRDec.*, vol. LXX, p. 185, n. 8. Cfr. coram EWERS, sent. 18 maii 1968, in *SRRDec.*, vol. LX, p. 348, n. 9; coram MASALA, sent. 6 martii 1974, in *SRRDec.*, vol. LXVI, p. 185, n. 8.

Hoc effatum desumptum est ex commentario WERNZ, F.X.-VIDAL, P.-AGUIRRE, PH., *Ius Matrimoniale*, Romae, 1946³, p. 621, n. 492.

¹⁶⁵ Coram POMPEDDA, sent. 23 ianuarii 1971, in *SRRDec.*, vol. LXIII, p. 59, n. 9. Cfr. coram ANNÉ, sent. 2 aprilis 1968, in

At sub adpectu formali, seu in ordine probationis, eadem ratio decidendi, placitorum intensitate ducta, requirere cogitur "occasionem" seu "causam" transitus erroris in voluntatem, i.e. «*eliciendi verum actum voluntatis positivum, saltem virtualem et implicitum*», ut puta, «*de divortio, certis in adiunctis, instaurando*»¹⁶⁶.

Enimvero in ordine probationis ipsa ratio iuridica postulat ut morali cum certitudine placitorum errorum transitus in actum voluntatis evincatur, ille nempe gressus, etsi nimis arduus iudicatu,

«ab invincibili errore, seu ab intentione habituali ad actum positivum voluntatis, seu ad intentionem actualem vel virtualem» [et quidem explicitam vel saltem implicitam, insitam] «*in circumstantiis sat eloquentibus et in modo agendi vere abnormi contrahentis*», [qui explicari nequit] «*nisi per positivam intentionem simulandi consensum, praesertim in subiecto cui radicitus et invincibiliter insedit idem error circa matrimonium*»¹⁶⁷.

SRRDec., vol. LX, pp. 293-294, nn. 5-6; coram MASALA, sent. 18 martii 1970, in *SRRDec.*, vol. LXII, p. 288, n. 15; coram COLAGIOVANNI, sent. 26 aprilis 1983, in *RRDec.*, vol. LXXV, p. 191, n. 10.

¹⁶⁶ Coram ANNÉ, sent. 27 octobris 1964, in *SRRDec.*, vol. LVI, p. 766, n. 5. Cfr. coram BEJAN, sent. 10 maii 1967, in *SRRDec.*, vol. LIX, p. 347, n. 5; coram EWERS, sent. 18 maii 1968, in *SRRDec.*, vol. LX, p. 346, n. 5; coram STANKIEWICZ, sent. 23 iunii 1978, in *RRDec.*, vol. LXX, pp. 373-374, n. 7; coram DE LANVERSIN, sent. 6 novembris 1980, in *RRDec.*, vol. LXXII, p. 711, n. 4.

Sunt qui distinguant "occasionem" a "causa" - coram SABATTANI, sent. 11 decembris 1964, in *SRRDec.*, vol. LVI, p. 930, n. 6: «*Hae sunt totidem occasiones (non quidem causae) simulationis, seu circumstantiae quae ex habituali dispositione excitant intentionem actualem contrahentis contra indissolubilitatem*».

¹⁶⁷ Coram SABATTANI, sent. 11 decembris 1964, in *SRRDec.*, vol. LVI, p. 930, n. 6.

Haec autem probatio tum pervicaciae ipsius erroris cum etiam occasionis gressus eiusdem erroris in voluntatem, iuxta communem et constantem iurisprudentiam rotalem, omnino necessaria est¹⁶⁸, quia placita erronea, etiamsi funditus in mente radicata, «*habitualement tantum seu generalem intentionem*», bonis matrimonii adversam, «*ordinarie*» generare possunt, *minime vero actualem vel saltem virtualem*¹⁶⁹. Quare his in causis decisio proferri nequit «*solummodo ex praesumptione statuta, sed prae oculis habitis quae ad positivum voluntatis actum comprobandum*» exiguntur¹⁷⁰.

Error enim, etiamsi voluntatem affecerit «*haec tamen conquiescere potest in statu merae dispositionis ad agendum*», quin reapse actum eliciat contra aliud quod matrimonii bonum¹⁷¹.

¹⁶⁸ Demonstratio invincibilis seu pervicacis erroris «*debet esse plena*», transitus vero erroris in actum positivum voluntatis sufficit «*etiam minus plena probatio*» - coram SABATTANI, sent. 11 decembris 1964, in *SRRDec.*, vol. LVI, pp. 929-930, n. 6. Cfr. coram STANKIEWICZ, sent. 23 iunii 1978, in *RRDec.*, vol. LXX, p. 375, n. 11.

¹⁶⁹ Coram ANNÉ, sent. 16 februarii 1965, in *SRRDec.*, vol. LVII, p. 156, n. 2. Cfr. coram ABBO, sent. 6 novembris 1969, in *SRRDec.*, vol. LXI, p. 978, n. 3; coram ROGERS, sent. 27 novembris 1973, in *SRRDec.*, vol. LXV, p. 794, n. 2; coram AGUSTONI, sent. 21 novembris 1975, in *RRDec.*, vol. LXVII, p. 635, n. 3; coram DE LANVERSIN, sent. 3 aprilis 1982, in *RRDec.*, vol. LXXIV, p. 159, n. 5; coram COLAGIOVANNI, sent. 11 decembris 1985, in *RRDec.*, vol. LXXVII, p. 578, n. 4; sent. 4 februarii 1986, Meliten., n. 7.

¹⁷⁰ Coram PINTO, sent. 6 novembris 1972, in *SRRDec.*, vol. LXIV, p. 675, n. 4; coram COLAGIOVANNI, sent. 4 februarii 1986, Meliten., n. 8; coram FUNGHINI, sent. 12 novembris 1986, Romana, n. 8; coram COLAGIOVANNI, sent. 12 maii 1987, Assisien., n. 7.

¹⁷¹ Coram STANKIEWICZ, sent. 23 iunii 1978, in *RRDec.*, vol. LXX, p. 373, n. 5.

Iamvero, necessitatem applicandi errorem, quantumvis pervicacem, matrimonio «hic et nunc contrahendo», epistemologiae rationes, quibus interpretatio iurisprudentialis sociatur, non exigunt. Placita enim erroris «*prima principia*» non sunt aut «*conclusiones necessario connexae*», quibus intellectus ex necessitate inhaeret, neque constituunt «*bonum universale seu beatitudinem*» aut «*bona particularia et contingentia*», habentia tamen «*necessariam connexionem ad beatitudinem*», ut voluntas, «*antequam per certitudinem divinae visionis necessitas huiusmodi connexionis demonstretur*», ex necessitate eis inhaerere debeat; ideoque ista libere agit¹⁷².

Quin immo, nec psychologiae rationes necessariam faciunt applicationem erroris pervicacis matrimonio «hic et nunc contrahendo», quia actitudo non est actualis modus se gerendi nec cum eo identificatur, sed nonnisi ad specificum agendi modum, ad determinatam situationem quod spectat, personam praeparat atque informat¹⁷³.

Hac de causa acceptari nequeunt laudabiles conatus tribuendi ipsi errori effectus «*perturbationis personalitatis*», videlicet «*ut in ipsa, quodcumque matrimonium contrahatur, iam implicite exclusio perspicienda sit*»¹⁷⁴, et quidem non solum ob indolem

¹⁷² S. THOMAS, *Summa Theol*, I, q. 82, art. 2, in c. Cfr. DE FINANCE, J., *Essais sur l'agir humain*, Rome, 1962, p. 268; coram PINTO, sent. 6 novembris 1972, in *SRRDec.*, vol. LXIV, pp. 674-675, n. 4; coram POMPEDDA, sent. 7 iulii 1975, in *RRDec.*, vol. LXVII, p. 468, n. 5.

¹⁷³ GIORDANI, B., *Psicologia religiosa*, Roma, 1979-1980, pp. 104-105: «*Dato che l'atteggiamento è una disposizione personale, vi convergono il mondo delle idee (ideali, valori, credenze, ecc.), quello emotivo e quello pratico ed esecutivo*».

¹⁷⁴ GROCHOLEWSKI, Z., *Relatio inter errorem* (supra nt. 130), p. 601.

technicam termini «*perturbatio personalitatis*»¹⁷⁵, sed potissimum quia tunc error pervicax «*ad psychiatriam saltem minorem*» transferri deberet, attento quod errans non amplius esset «*in manu consilii sui*»¹⁷⁶.

4. *Natura erroris determinantis voluntatem eiusque autonomia*

Quoniam clausula consensum matrimonialem invalidans, in his verbis can. 1099 insita: «*dummodo [non] determinet voluntatem*», recepisce dicitur «*communem iurisprudentiam de praeponderanti influxu erroris, qui est in mente, in determinatione voluntatis ita ut consensus ipse sit vitio affectus*»¹⁷⁷, in primis ex eadem iurisprudentia indoles practica erroris determinantis voluntatem haud dubie resumenda est.

Agitur enim de errore «*operativo seu practico*», qui ad «*opus practicum*» ordinatur, quatenus matrimonium iuxta placita erronea eligendum «*quod errori obiectum praebet, est res practica, non speculativa*»¹⁷⁸.

In errore enim voluntatem determinante revera intellectus practicus implicatur, quatenus talis error est actus intellectus practici, qui «*movet voluntatem, sicut praesentans ei obiectum suum*»¹⁷⁹. E contra,

¹⁷⁵ Cfr. FORNARI, U., «*Il "valore di malattia" alla luce del DSM-III-R*», in AA.VV., «*Diagnosi psichiatrica e DSM-III-R. Aspetti clinici e prospettive medico-legali*», Milano, 1989, pp. 17 ss.: «*Disturbi di Personalità*».

¹⁷⁶ Coram FERRARO, sent. 10 aprilis 1984, Salernitana, n. 5.

¹⁷⁷ Coram COLAGIOVANNI, sent. 20 aprilis 1984, in *RRDec.*, vol. LXXVI, p. 487, n. 5. Cfr. coram BRUNO, sent. 31 maii 1985, in *RRDec.*, vol. LXXVII, p. 273, n. 4.

¹⁷⁸ Coram FERRARO, sent. 10 aprilis 1984, Salernitana, n. 5. Cfr. supra nt. 85.

¹⁷⁹ S. THOMAS, *Summa Theologica*, I-II, q. 9, art. 1, in c.; cfr.

error voluntatem non determinat, si modo ad intellectum speculativum pertineat, qui operatur in errore illius qui ex. gr.

«retinet matrimonium solvendum esse ubi naufragium patitur, quantuscumque error pervicax et radicans sit, nam agitur de errore circa matrimonium in genere et in abstracto, seu de intellectu speculativo, qui tantummodo animi inclinationem ad vinculum solvendum cum ibi res male cedant gignere valet, nullatenus voluntatis actum»¹⁸⁰.

Profecto,

«quotiescumque placita erronea circa matrimonii proprietates essentielles seu unitatem et indissolubilitatem aut dignitatem sacramentalem involvunt etiam respectum ad rationem agendi hic et nunc complendam, id est si iudicium pratico-practicum efficiant quod obiectum a positiva voluntate eligendum sub hoc nonnisi erroris respectu specificat, ita ut voluntas certo ac infallibiliter illud eligat, tunc error practicus ipsam voluntatem determinat atque consensum matrimoniale vitiat»¹⁸¹.

Sed peculiaris natura huius erroris practici variis sub aspectibus considerari potest.

I, q. 79, art. 11 in c.; coram PINTO, sent. 14 novembris 1986, Caracen., n. 4.

¹⁸⁰ Coram PINTO, sent. 20 februarii 1987, Flortentina, n. 3.

¹⁸¹ Coram STANKIEWICZ, sent. 19 maii 1988, Etrusca seu Senen., n. 8. Cfr. etiam sent. 29 ianuarii 1981, in *RRDec.*, vol. LXXIII, p. 50, n. 9; sent. 29 aprilis 1982, in *RRDec.*, vol. LXXIV, p. 249, n. 5; sent. 26 iunii 1987, Romana, n. 5.

Quod spectat ad notionem iudicii pratico-practici - cfr. SIWEK, P., *Psychologia metaphysica* (supra nt. 2), p. 454: «practico-practicum, quod ita proponit homini obiectum hic et nunc eligendum, ut voluntas infallibiliter illud eligat; ideoque vocatur sensu proprio "imperium", quod exprimitur formula "fac hoc"». Cfr. etiam SZASZKIEWICZ, J., *Filosofia dell'uomo* (supra nt. 3), p. 241.

In primis cum in tali errore verificetur «*actus reflexus, seu quod contrahens positive illum errorem prosequatur tamquam suae voluntatis obiectum, matrimonium scilicet contrahendo sic et non aliter*»¹⁸², iam «*propriissime*» error voluntatem determinare putatur «*ubi agens sibimet in obiectum tendit quatenus et tantummodo quatenus illud ab intellectu errore infecto proponitur ipsi voluntati*»¹⁸³.

Idque obvenit

«*si adest revera error specificans obiectum*», [in quo nempe] «*nubentium consensus dirigitur ad obiectum quatenus istud inficitur eiusmodi errore*», [seu quando] «*error exstat obiectum voluntatis contrahentis*», [qui] necessario corrumpit consensum, si qualitas, super qua error exstat, nequit componi cum autentico et substantiali obiecto consensus matrimonialis»¹⁸⁴.

Sed provinciam erroris specificantis obiectum haud ingredi putatur error *dans causam* contractui, quamquam in eo

«*absque dubio influxus habetur in exercitium actus voluntatis contrahentis, quatenus ipse causa est propter quam*

¹⁸² Coram POMPEDDA, sent. 7 iulii 1975, in *RRDec.*, vol. LXVII, p. 468, n. 4. Cfr. coram eodem Pon., sent. 1 iulii 1969, in *SRRDec.*, vol. LXI, p. 692, n. 4; coram HUOT, sent. 22 aprilis 1982, in *RRDec.*, vol. LXXIV, p. 195, n. 6.

¹⁸³ Coram POMPEDDA, sent. 21 aprilis 1986, Romana, n. 4.

¹⁸⁴ Coram POMPEDDA, sent. 21 aprilis 1986, Romana, n. 5. Cfr. coram DORAN, sent. 20 novembris 1987, Romana, n. 8.

Quoad doctrinam cfr. POMPEDDA, F., «*Fede e sacramento del matrimonio. Mancanza di fede e consenso matrimoniale: aspetti giuridici*», in «*Studio Rotale*», II (1987) 61; FALTIN, D., «*L'esclusione della sacramentalità del matrimonio con particolare riferimento al matrimonio dei battezzati non credenti*», in «*Studio Rotale*», IV (1989) 30.

voluntas pervenit ad contrahendi actum: sed obiectum erroris non est obiectum voluntatis» [atque] *«consensus contrahentis non dirigitur in obiectum quatenus istud eiusmodi errore inficitur»*¹⁸⁵.

Nihilominus tamen vigente adhuc Codice Pio-Benedictino, qui errori causam danti contractui expresse denegaverat momentum iuridicum, merito ac iure praescriptum can. 1084 reprehendebatur in eo quod *«non facile possit intelligi et admitti qua ratione error qui dat causam contractui non vitiet consensum matrimonialem»*, ita ut hac in re *«doctrina Gasparri non satis probata»* haberetur¹⁸⁶.

Iamvero verborum *«dare causam contractui»* propria significatio validum secumferebat argumentum adtribuendam errori huiuscemodi efficaciam iuridicam. Nam id genus error motivum contrahendi constituit quod cum concreta decisione matrimoniali, non vero cum quadam abstracta, directe coniungitur, eamque reapse afficit per concretae volitionis determinationem¹⁸⁷. Est enim error antecedens seu

¹⁸⁵ Coram POMPEDDA, sent. 21 aprilis 1986, n. 5.

¹⁸⁶ NAVARRETE, U., *Schema iuris recogniti* (supra nt. 98), p. 638.

De voluntatis determinatione in tali errore cfr. etiam GRAZIANI, E., *Volontà attuale e volontà precettiva nel negozio matrimoniale canonico*, Milano, 1956, p. 105: *«...il valore di questa norma (can. 1084) sta tutto nell'aver dichiarato l'irrilevanza non già del simplex error juris, ma del simplex error juris "dans causam contractui", ossia di quell'errore che ha determinato la volizione, costituendone il motivo»*. Cfr. etiam GROCHOLEWSKI, Z., *De exclusione indissolubilitatis ex consensu matrimoniali eiusque probatione*, Neapoli, 1973, p. 58.

¹⁸⁷ FUMAGALLI-CARULLI, O., *Il matrimonio canonico* (supra nt. 83), pp. 112-113. Cfr. ALDANONDO SALAVERRIA, M., *Mentalidad divorcista* (supra nt. 67), pp. 161-162.

causam dans contractui «quo afficitur contrahens ante matrimonium et sine quo ipse contrahens matrimonium non contraxisset»¹⁸⁸. In specie autem est «error motivum seu causa cur quis contrahat» quique «non manet solum in intellectu sed simul afficit voluntatem, movendo scilicet voluntatem ad contrahendum»¹⁸⁹.

Eapropter «error qui dat causam contractui voluntatem ita afficere ac determinare valet, ut hac ratione ipse consensus pro infecto haberi queat»¹⁹⁰. Nam in tali errore «qui principale motivum contrahendi constituit iuxta illud: “contraxerant, quia sciebant licere repudium, et aliter non contraherent”»¹⁹¹, reapse «adest saltem voluntas implicita praestandi consensum, reiecta tamen indissolubilitate», seu voluntas placitis erroneis affecta, quae «essentialiter limitat obiectum consensus matrimonialis quoad obligationem indissolubilitatis»¹⁹².

Error eiusmodi iuxta terminologiam civilistarum

¹⁸⁸ CONTE A CORONATA, M., *De Matrimonio et de Sacramentalibus*, Torino, 1957³, p. 601, n. 447.

¹⁸⁹ Coram CAIAZZO, sent. 26 martii 1949, in *SRRDec.*, vol. XLI, p. 128, n. 2.

¹⁹⁰ Coram STANKIEWICZ, sent. 20 iulii 1984, Romana, n. 4.

In hac factispecie inspicitur limitatio consensus ad instar condicionis - cfr. FUMAGALLI CARULLI, O., *Il matrimonio canonico* (supra nt. 83), p. 113; STANKIEWICZ, A., *Errore* (supra nt. 67), p. 562.

Contrarium tenent quoad errorem dantem causam contractui - POMPEDDA, M. F., «Il consenso matrimoniale», in AA.VV., «*Il matrimonio nel nuovo Codice di Diritto Canonico*», Padova, 1984, pp. 71-72; VILADRICH, P.J., in *Codigo* (supra nt. 81), p. 662, ad can. 1099.

¹⁹¹ DE LUGO, J., *Tractatus de Sacramentis in genere*, disp. 8, sect. 8, concl. 3, n. 131 (Parisiis, 1869, t. III, p. 403).

¹⁹² Coram STANKIEWICZ, sent. 27 novembris 1986, Romana, n. 5.

vocari potest "error-motivum" vel "error-vitium"¹⁹³, quatenus, prout nostro in casu, enumeratur inter "motivantes causas", quae movent voluntatem ad electionem¹⁹⁴, peculiarem tamen indolem suam manifestat in eo quod non continet tantum falsam aestimationem facti, in determinationem voluntatis influentis, sed qualitatum essentialium negotii matrimonialis (error iuris), ex quo momentum erroris obstativi assumit¹⁹⁵.

Quamvis error voluntatem determinans "essentialis"¹⁹⁶ haberi possit tum objective, quia respicit ad essentielles proprietates matrimonii eisque dignitatem sacramentalem¹⁹⁷, tum subjective pro contrahente, in quantum eius consensum determinat, nihilominus tamen hic error ex legis praescripto non operatur tamquam error substantialis (can. 126), sicut ille negotii matrimonialis identitatem respiciens (can. 1096)¹⁹⁸. Profecto, talis error consensum non vitiat

¹⁹³ Cfr. GALGANO, F., *Il negozio giuridico*, Milano, 1988, p. 274.

¹⁹⁴ Coram COLAGIOVANNI, sent. 12 novembris 1985, in *RRDec.*, vol. LXXVII, p. 479, n. 6; sent. 11 decembris 1985, p. 579, n. 5.

¹⁹⁵ Cfr. BETTI, E., *Teoria generale del negozio giuridico*, Torino, 1960², p. 444.

Quoad ius canonicum - cfr. FEDELE, P., *L'"ordinatio ad prolem" nel matrimonio in diritto canonico*, Milano, 1962, pp. 238 ss.; GIACCHI, O., *Il consenso nel matrimonio canonico*, Milano, 1968³, pp. 79 ss.

¹⁹⁶ De errore essentiali - cfr. PIETROBON, V., «Errore (diritto civile)», in «*Enciclopedia Giuridica*», t. XIII, Roma, 1989, p. 4.

¹⁹⁷ Sacramentalitas matrimonii se gerit sive ad instar proprietatis essentialis sive elementi essentialis matrimonii - cfr. STANKIEWICZ, A., *De iurisprudencia recentiore* (supra nt. 51), p. 26.

¹⁹⁸ Cfr. coram EWERS, sent. 18 maii 1968, in *SRRDec.*, vol. LX, p. 345, n. 3; coram POMPEDDA, sent. 7 iulii 1975, in *RRDec.*, vol. LXVII, p. 467, n. 4; coram DI FELICE, sent. 14 decembris

«per se», seu propter defectum intellectus ab errore causatum, sed propter voluntatem ab errore determinatam, quae obiectum non aliter, nisi iuxta placita erronea eligit¹⁹⁹. Cum enim error voluntatem determinans importet statum certitudinis in suo assensu in placita erronea, videlicet «*firmitatem mentis et exclusionem formidinis oppositi complectentem*», voluntas ab eo concitata deliberate non tendit in directam ac immediatam exclusionem essentialis proprietatis vel dignitatis sacramentalis matrimonii per positivum voluntatis actum, «*sed simpliciter intendit aliud obiectum persequi, essentialiter tamen diversum ab obiecto foederis matrimonialis*»²⁰⁰, substituendo hoc modo in locum schematis proprietatum essentialium vel dignitatis sacramentalis matrimonii canonici suum schema, iuxta placita erroris efformatum.

Attamen ob momentum essenziale voluntatis in exserenda efficacia iuridica huius erroris, quaedam haesitatio adverti potest in iurisprudentiali dictamine circa eius propriam configurationem, videlicet utrum talis error «*ad modum simulationis partialis*» operetur²⁰¹, quatenus «*determinare debet voluntatem*

1977, in *RRDec.*, vol. LXIX, p. 506, n. 2; coram STANKIEWICZ, sent. 14 octobris 1978, in *RRDec.*, vol. LXX, p. 438, n. 5.

De relatione inter can. 1096 et can. 1099 - cfr. BONNET, P.A., «*L'errore di diritto giuridicamente rilevante nel consenso matrimoniale canonico*», in AA.VV., «*La nuova legislazione matrimoniale canonica*», Città del Vaticano, 1986, pp. 42 ss.

¹⁹⁹ Coram STANKIEWICZ, sent. 29 ianuarii 1981, in *RRDec.*, vol. LXXIII, p. 50, n. 10, coram FIORE (FALTIN Extens.), sent. 16 aprilis 1988, Romana, n. 9.

²⁰⁰ Coram STANKIEWICZ, sent. 26 iunii 1987, Romana, n. 5.

²⁰¹ Coram GIANNECCHINI, sent. 14 iunii 1988, Romana, n. 5. Cfr. STANKIEWICZ, A., *Errore* (supra nt. 67), p. 564; GRAZIANI, E., «*Essenza del matrimonio e definizione del consenso*», in AA.VV., «*La nuova legislazione matrimoniale canonica*», Città del Vaticano, 1986, pp. 32-33.

*et in positivum voluntatis actum verti ad simulationem patrandam omnino necessariam»*²⁰², an iuxta novae legis formulationem haberi debeat figura autonoma et distincta²⁰³, etsi stricto nexu coniuncta cum simulatione partiali²⁰⁴.

Quidquid tamen est, haud sine causa asseritur «saltem sub adpectu formali et sub ratione psychologica inter se differre factispeciem in can. 1101 par. 2 praevisam et illam per modo citatum canonem 1099 definitam»²⁰⁵.

Sed in ordine probationis «parum interest quo nomine definienda sit ea voluntas, quae emergit certo determinata ad consensum matrimonialem coartandum citra legem»²⁰⁶. Eapropter probatio ad haec elementa, similiter ac in probatione simulationis, spectare debet, perspecto quod,

²⁰² Coram FUNGHINI, sent. 22 februarii 1989, Reg. Latii seu Romana, n. 2; coram HUOT, sent. 10 novembris 1987, Taurinen., n. 9: «Quodsi tamen error ita personam penetret atque informet ut genuinum provocet positivum voluntatis actum, qui matrimonii perpetuitatem excludit, consensum matrimonialem necessario tunc inficit».

²⁰³ Coram RAGNI, sent. 23 februarii 1988, Taurinen., n. 6; n. 5: «...erronea opinio quae voluntate perficitur intuitu propriam consensus matrimonialis manifestationem coarctandi, seu ipsum consensum irritum reddendi, tunc ipsa nullitatem producit». Cfr. etiam coram BOCCAFOLA, sent. 15 februarii 1988, Romana, n. 5.

²⁰⁴ Coram POMPEDDA, sent. 17 iulii 1989, Romana, n. 4: «Nemo autem est qui non videat alteram hypothesin stricto nexu coniungi cum errore: qui sane per se non vitiat consensum matrimonialem, dummodo tamen non determinet voluntatem».

²⁰⁵ Ibid., n. 5. Inde formula dubii concordati ita sonare poterit: «An constet de matrimonii nullitate, in casu, ob errorem voluntatem determinantem circa dignitatem sacramentalem matrimonii, ex parte viri» - coram GIANNECCHINI, sent. 14 iunii 1988, Romana, n. 2.

²⁰⁶ Coram DE LANVERSIN, sent. 17 octobris 1984, in *RRDec.*, vol. LXXVI, p. 534, n. 3.

«ut error voluntatem determinet duo requiruntur:

a) Ut nupturiens censeat matrimonii vinculum solvi debere saltem ubi coniugium naufragium fecerit (causa remota simulationis);

b) Ut ipse persuasum sibi habeat matrimonii vinculum solvendum esse in casu concreto matrimonii a se hic et nunc contrahendi, saltem in casu probabilis naufragii (simulationis causa proxima)»²⁰⁷.

[At] «positivus assensus erroneus voluntatem determinans iuxta specificatum a semetipso obiectum, in sphaera vitii consensus matrimonialis operatur autonome, donec error invincibilis permaneat. Si enim firmitas mentis circa unicam pseudo-coniugii speciem inficiatur percepta a contrahente formidine oppositi, haec certitudinis amissio necessario secumfert quoque remotionem inopinatae seu inconsciae divergentiae inter voluntatem et declarationem, quae errori pratico voluntatem determinanti propria est».

Tunc sane radicitus inhaerens in mente contrahentis firma persuasio seu convictio, doctrinae catholicae de matrimonio adversa,

«fieri potest causa proportionata et gravis (proxima vel saltem remota) reflexae exclusionis per positivum voluntatis actum essentialis alicuius matrimonii proprietatis, id est unitatis vel potissimum indissolubilitatis (can. 1101, § 2 coll. cum can. 1056), tum dignitatis sacramentalis (can. 1101, § 2 coll. ex analogia cum can. 1099)»²⁰⁸.

²⁰⁷ Coram PINTO, sent. 14 novembris 1986, Caracen., n. 4. Cfr. etiam coram eodem Pon., sent. 30 martii 1987, Matriten., n. 5; coram STANKIEWICZ, sent. 19 maii 1988, Etrusca seu Senen., n. 8.

Cfr. etiam coram BRUNO, sent. 19 decembris 1984, in *RRDec.*, vol. LXXVI, p. 650, n. 6: «In casu pervicacis erroris, causa simulandi in ipso errore est invenienda, qui, uti patet, voluntatem ad simulandum consensum determinat».

²⁰⁸ Coram STANKIEWICZ, sent. 19 maii 1988, Etrusca seu Senen., n. 9. Cfr. VILLEGIANTE, S., *Errore e volontà simulatoria* (supra nt. 130), pp. 152 ss.

Tandem, cum suggestum sit ut *defectus fidei personalis* apud contrahentes baptizatos etiam ad categoriam erroris iuris voluntatem determinantis reduceretur²⁰⁹, videndum est quaenam sit sub hoc respectu iurisprudentialis aestimatio validitatis sacramenti matrimonii, initi in similibus rerum adiunctis.

Praetermissa tamen doctrinali disceptatione de relatione contractum inter et sacramentum in matrimonio baptizatorum²¹⁰, initio iam notandum est in rotali iurisprudencia firmum manere principium hermeneuticum, lege ecclesiali firmatum (can. 1055), de inseparabilitate inter contractum et sacramentum, ex quo eadem iurisprudencia considerationem suam intendit potius in probitatem ac rectitudinem intentionis quam in ipsum fidei personalis defectum.

Etenim nupturiens carere potest fide personali,

*«dummodo tamen consensus in forma praescripta eliciatur, eo ipso, ceteris concurrentibus, inter baptizatos sacramentum efficitur, quia sacramenti ratio inter eosdem contrahentes non ex nupturientibus sed ex Christi voluntate dependet»*²¹¹.

²⁰⁹ POMPEDDA, M.F., *Fede e sacramento* (supra nt. 184), p. 59.

²¹⁰ Inter copiosum hac in re numerum dissertationum cfr. DE NAUROS, L., «*Le mariage des baptisés de l'Église Catholique qui n'ont pas la foi*», in «*Revue de Droit Canonique*» 30 (1980) 156 ss.; SEQUEIRA, J.B., *Tout mariage entre baptisés est-il nécessairement sacramentel?* Paris, 1985, pp. 667 ss.; BAUDOT, D., *L'inseparabilité entre le contrat et le sacrement de mariage*, Roma, 1987, pp. 382 ss.; AA.VV., *Le mariage, un sacrement pour les croyants?* Paris, 1990, pp. 148 ss.

²¹¹ Coram STAFFA, sent. 5 augusti 1949, in *SRRDec.*, vol. XLI, pp. 468-469, n. 2.

Aliis verbis:

«quoties sponsi baptizati omnia, quae iure naturae necessaria sunt, ponunt legitima forma, vinculum indissolubile et ipsum sacramentum fit. Quod quidem non a fide contrahentium nec ab eorum voluntate, sed a voluntate Christi pendet»²¹².

Quare sub hoc adpectu, sicut quis contendit, non interest ut contrahens

«vel fidem in matrimonii sacramentum servet, aut in Dei existentiam, aut in institutionem divinam sacramentorum: dummodo contractum, prout in natura est, non excludat, aut positive repudiet quidquid contractus huius essentiam attingit»²¹³.

Nihil inde officit *«quod partes fateantur se fidem non habere»²¹⁴*, quia *«ad validum contrahendum matrimonium fides necessaria non est, sed unus consensus»²¹⁵.*

Alia ex parte non solum absentia fidei, sed potissimum eius recusatio ponit problema circa existentiam requisitae intentionis faciendi quod facit Ecclesia apud contrahentes baptizatos sed non credentes. Quamvis enim

²¹² Coram POMPEDDA, sent. 9 maii 1970, in *SRRDec.*, vol. LXII, p. 476, n. 3; coram DOHENY, sent. 10 iulii 1959, in *SRRDec.*, vol. LI, p. 368, n. 4.

²¹³ Coram DOHENY, sent. 18 februarii 1959, in *SRRDec.*, vol. LI, p. 60, n. 2.

²¹⁴ Coram MATTIOLI, sent. 27 februarii 1953, in *SRRDec.*, vol. XLV, p. 150, n. 2.

²¹⁵ Coram BOCCAFOLA, sent. 15 februarii 1988, Romana, n. 4; coram STANKIEWICZ, sent. 29 aprilis 1982, in *RRDec.*, vol. LXXIV, p. 247, n. 4.

«quaestio circa intentionem et problema circa fidem personalem contrahentium non misceri debeant, tamen non totaliter separari possunt», [attento quod] «intentio vera ultimam fide viva nascitur et nutritur». [Inde si contrahens revera ostendit] «nullum vestigium fidei qua talis», [tunc] «dubium facti oritur, utrum supra dicta intentio generalis et sacramentalis reapse adsit, et matrimonium contractum validum sit an non». [Utique] «fides personalis contrahentium per se, ut ostensum est, non constituit sacramentalitatem matrimonii, sed sine ulla fide personali validitas sacramenti infirmaretur»²¹⁶.

Ad individuandam praesentiam illius "vestigii fidei" nec non intentionis faciendi quod facit Ecclesia haec sunt adnotanda.

In primis

«pro certo habendum est rectam intentionem acceptandi matrimonium secundum Dei consilium, videlicet "sacramentum rei, quae iam in creationis dispositione inest", quatenus "est idem foedus coniugale a Creatore institutum in principio"»²¹⁷, minimum illud dispositionis personalis ad valide contrahendum nupturienti etiam incredulo haud dubie praestare».

Quare dicendum est

«rectam intentionem consentiendi in verum matrimonium quoddam fidei vestigio inniti, quia "propositum matrimonium contrahendi secundum hoc Dei consilium, id est secundum propositum vitam, per ipsorum coniugalem et irrevocabilem consensum, amore indissolubili atque fidelita-

²¹⁶ COMMISSIO THEOLOGICA INTERNATIONALIS, *Propositiones* (supra nt. 17), n. 2.3, p. 458. Cfr. coram STANKIEWICZ, sent. 29 aprilis 1982, in *RRDec.*, vol. LXXIV, pp. 247-248, n. 4; coram Huot, sent. 10 novembris 1987, Taurinen., n. 13.

²¹⁷ JOANNES PAULUS II, Adhort. apost. «*Familiaris consortio*» (supra nt. 45), n. 68, pp. 163-164.

te sine condicionibus astringendi, revera requirit, etiamsi modo non omnino conscio, animum affatim oboediendi Dei voluntati, qui sine eius gratia non potest haberi"²¹⁸.

Quapropter

*«propositum acceptandi verum matrimonium saltem implicite complectitur intentionem faciendi quod facit Ecclesia*²¹⁹, *per quam consensus matrimonialis fit sub aspectu sacramentali verus actus humanus*²²⁰. *Agitur enim de nupturientibus baptizatis, quare non est obliviscendum eos "vi sui baptismi, vere iam alligari Foedere sponsali Christi cum Ecclesia atque ob rectam intentionem Dei consilium de matrimonio se accepisse ideoque, saltem implicite, ei assentiri, quod Ecclesia facere intendat, cum matrimonium celebrare". Ceteroquin "sacramenta verbis et rebus ritualibus fidem alunt et roborant: fidem dicimus, ad quam matrimonium inituri iam contendunt vi rectae suae intentionis, quam gratia Christi sine dubio fovet et firmat"*²²¹.

Ceterum agitur de fide Ecclesiae, quam nupturientes vi sui baptismi participant²²².

Attamen si defectus fidei personalis ad errorem reducatur, necesse est ut probetur voluntatem contrahentis revera determinatam fuisse tempore nuptia-

²¹⁸ Ibid., n. 68, p. 164; coram STANKIEWICZ, sent. 19 maii 1988, Etrusca seu Senen., n. 5.

²¹⁹ CONC. TRIDENT., Sess. VII, de Sacr. in genere, can. 11; DS. 1611.

²²⁰ COMM. THEOL. INTERNAT., *Propositiones* (supra nt. 17), n. 2.3, p. 458. Cfr. coram STANKIEWICZ, sent. 29 aprilis 1982, in *RRDec.*, vol. LXXIV, p. 248, n. 4.

²²¹ JOANNES PAULUS II, Adhort. apost. «*Familiaris consortio*» (supra nt. 45), n. 68, p. 164; coram STANKIEWICZ, sent. 19 maii 1988, Etrusca seu Senen., n. 5.

²²² Cfr. AA.VV., *Le mariage un sacrement* (supra nt. 210), pp. 256 ss. Quoad sufficientiam intentionis faciendi quod facit Ecclesia super dispositione personali ministri - cfr. ALARCON, F.A., *El matrimonio celebrado sin fe*, Almeria, 1988, p. 274.

rum, prout supra explicatum est, non aliter contrahendi quam matrimonium non sacramentale, vel proprietatibus essentialibus orbatum²²³. Nam et in hac factispecie, ad instar pervicacis seu radicati erroris, defectus fidei personalis non operabitur «de se», sed per voluntatem ab ipso determinatam in matrimonium iuxta placita sua eligendum.

ANTONI STANKIEWICZ

²²³ Can. 1099, similiter ac abrogatus can. 1084 mentionem non faciunt erroris circa *bonum prolis*.

Sed sub vetere Codice animadversum est ex hac omissione deduci non posse «*quemlibet errorem circa hoc bonum dirimere matrimonium*», quia «*non irritat consensum ignorantia circa ius petendi debitum vel circa obligationem reddendi debitum; neque nocet validitati coniugii error quo quis putat sibi licere frustrare copulam coniugalem*» (coram WYNEN, sent. 16 octobris 1945, in *SRRDec.*, vol. XXXVII, p. 556, n. 5).

Quamvis post novi Codicis promulgationem sunt qui censeant necessarium esse tribuere efficaciam iuridicam etiam errori circa ordinationem ad bonum coniugum nec non ad bonum prolis, merito tamen notant «*rarietà con la quale tali errori in realtà si presentano nella pratica*» atque «*una scarsa sensibilizzazione da parte della dottrina canonistica nei confronti di siffatti aspetti della problematica matrimoniale*» - BONNET, P.A., *Introduzione al consenso matrimoniale canonico*, Milano, 1985, p. 62. Quod verum est: nam iurisprudentia rotalis hac in re principia sua efformavit fere exclusive agens de exclusionem indissolubilitatis atque, hac occasione, de errore circa hanc matrimonii essentialem proprietatem.